



Nf. 5.





10

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**SS. TRINI-**  
**TATE,**  
Quam  
*Aspirante SS. Trinitate*  
IN ALMA VIADRINA,  
PRÆSIDE  
**DN.BARTHOLDO Holßfuß/**  
SS. THEOL. DOCT. & PROF. PUBL.  
ORDIN.  
*FAUTORE ac PRÆCEPTORE SUO*  
*ÆTERNUM VENERANDO,*  
D. III. Aprilis A. O. R. MDCCIV.  
Placide examinandam  
proponit  
**ANDREAS PANYOKI,**  
HUNGARUS.

\*\*\*\*\*  
FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Dissertatio THEOLOGICA  
DE

# SESTRIERI ATATE

Genes.

Afrikanus 22. Tympanis

In ALIA VASDRINA

LXXXII

## DNBARGHIONDODGELM

ss. THOMET DOCT. & LIGET TURP.

ORUM

AGATHA & FRANCISCA IN

ATRINUM VASDRINA

D. III. Aprilis A. O. R. MDCXVIA

Tragedie extra amorem

Tragedie

## INDRIAS PANYOKI

HINDEBR

Tragedie extra amorem

Tragedie extra amorem

Tragedie extra amorem



## A. Ω.

**D**leræque Gentes , quæ Religionem aliquam agnoverunt , certa quædam veri vel falsi Cultus sui Mysteria venditarunt. Ægyptiorum & Chaldaeorum Sacra plena Mysteriorum fuisse apud Auctores in Confesso est. De Græcis id testatur Arrianus in Commentario in Epictetum . Lib. 3. c. 21. p. m. 335. Sic nobis utilia redunduntur Mysteria : Sic in considerationem eorum pervenimus . Nam propter disciplinam & emendationem vita omnia hæc à Veteribus instituta sunt . A Græcis , ut multa alia Insti- tuta , ita & , Mysteria accepisse Romanos fate- tur Cicero Lib. 2. de Legibus inquiens : Mihi cum multa eximia divinaque videntur Athe-

na tua peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis Mysteriis, quibus ex agresti immaniq; vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus; initiaq; ut appellantur, ita revera Principia vita cognovimus, neq; solum cum latitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. A quibus, nempe Sacris majoribus, non solum impii, vulgusque profanum, sed & peregrini arcebantur, quibus nec sciscitari vel ab aliis audire; nec Initiatis visa vel audita evulgare fas erat. Nec Muhammedani in universum Mysteriis destituuntur. Judæi Veteres non pauca vera Mysteria habuerunt, & hodierni multa falsa Mysteria Kabbalistica jactant. Christiana nostra Religio etiam sua Vera, Sublimia, actremenda Mysteria agnoscit & veneratur, Matth. 13, 11. Rom. 16, 25. Eph. 1, 9. Eph. 5, 32. Col. 1, 26. 1. Tim. 3, 16. **A** quorum tractatione Verbi Divini Ministri 1. Cor. 4, 1. Dispensatores Mysteriorum Divinorum vocantur. Inter haec Christianæ Religionis Mysteria merito primum locum obtinet Dogma de SS. Trinitate, quod nos speciminis Academicici loco pertractabimus; ea tamen, qua Mysteria tractari par est, reverentia ac sobrietate!

SUMMA-

(5.)

## SUMMARIA.

- §. 1. Nominis Triados, Trinitatis, Explicatio.
- §. 2. Vocabulorum, in hoc Mysterio occurrentium Consideratio, quales sunt: Essentia, Natura, μορφή, Substantia.
- §. 3. Hypostasis, Περίσωπον, Persona, Τεόπος ὑπάρχειον.
- §. 4. Ομούσιος, Περιχώρησις.
- §. 5. Voces has, non temere receperas, ac protinde nec temere eliminandas, sed sub certis tamen cautionibus, adhibendas esse.
- §. 6. Mysterii S. Trinitatis Principium Cognoscendi non esse Naturam s. Rationem, nec Philosophiam Platonicam, nec Kabbalam Iudaicam, nec Carmina Sibyllina.
- §. 7. Sed solam S. Scripturam Veteris T. in quo obscurius; & N. Testamenti, in quo clarius revelatur.
- §. 8. Loca V. T. afferuntur, quibus Pluralitas infertur. An his annumerandum Nomen Elobim?
- §. 9. Loca N. T. producuntur, quibus diserte Tres nominantur. Locus i. Joh. 5, v. 7. vindicatur.
- §. 10. Trinitatem probat Deitas Patris, Filii & Spiritus S.
- I. Deitas Patris: an hæc inferat aliquam ἀπέρχην s. excellentiam vel eminentiam?
- II. Deitas Filii, asserta ex Nominibus Divinis Essentiabus.
- §. 12. Ex Nominis Personalis Filii & ex Filiatione s. eterna Generatione.
- §. 13. Et ex Nominis λόγῳ.
- §. 14. Ex Nominis Angelis facientibus in V. T. Patriarchis apparentibus.
- §. 15. Ex Attributis & Operibus divinis, item Cultu Adorationis.
- §. 16. An & quo sensu Christus Adiudicatos?
- §. 17. III. Spiritus S. Personalitas.
- §. 18. Spiritus S. Deitas, asserta ex Nominibus, Attributis, Operibus Divinis, & Cultu.
- §. 19. Ordo Personalis. it. Proprietas Characteristica.
- §. 20. Spiritus S. Procesio à Patre & Filio adstruitur contra Grecos. Controversie inter Grecos & Latinos brevis Historia & momentum.

(6.)

- §. 21. Processionis Spiritus S. Dif- §. 24. Opposita. Iudeorum & ferentia à Generatione Filii. Muhammedanorum infide-  
§. 22. Unitas Essentie & Distin- litas.  
ctio Personarum Dipinarum § 25. Heterodoxorum, Antitri-  
tum ab Essentia Divina, tum nitariorum, errores, quibre-  
à se invicem.  
§. 23. Attributa hujus Mysterii:  
I. Sublimitas. II. Necesitas  
crendi hoc dogma, III. Ve-  
ritas.
- §. 26. Conclusio.

I.

**M**ysterium SS. Trinitatis tractaturi meritò à Vocab, hic occurrentium, Consideratione initium facimus. Harum I. prima est *reiācī. Trinitas*, quæ, non quidem in Abstracto, veruntamen in Concreto, in ipsa Scriptura legitur i. Joh. 5, 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*, &c. Inter alias, & *reiādō* vocem non à primis Christianis usurpatam, sed ex Platoniceis Scriptoribus, sensu nonnihil immutato, desumptam esse; apud quos reperias: ἐξαπειν δει τὴν μονάδα τῆς *reiādō*, ἐξαπτειν δὲ τὴν *reiādā* τῆς μονάδō; vult Grotius Commentar. in Joh. 1, 2. quæ & Veterum Arrianorum fuit accusatio: Verum rectius hæc vox ex S. Scriptura petita creditur, cum ejus Concretum c.l. extet; Ex quo Concreto Vocem Abstractam se derivasse ostendit Athanasius Orat. 2 contra Arrian. & Exposit. Symboli. Ne dicam, quod res ipsa in Scriptura habeatur. Matth. 28, 19. Incommode vertitur Germanice per Nomen Dreifaltigkeit / utpote quod potius Triplicitatis quam Trinitatis voci respondet. Cum verò Deus ex Tribus compositus non sit, adeoq; male Triplex dicatur;

catur; sed unam habeat Essentiam & tres Subsistendi modos, qui Trinum seu Trinunum faciunt; Inde recte Dreyeinig/ male Dreyfachig s. Dreyfaltig Germanicè vocatur. Quod observavit B. Lutherus in der Hauss Postill Fest. Trinit. p. 664. Dreyfaltigkeit ist ein recht böse Teutsch: Denn in der Gottheit ist die höchste Einigkeit. Etliche nennen es Dreyheit. Aber das lautet allzuspöttisch. Augustinus flaget auch/ daß er kein bequem Wort habe/denn ich kan nicht sagen / wie drey Menschen oder drey Engel sind/ daß auch also drey Götter seyn / sondern nur sagen/ daß ein einiger Gott sey. Es ist wol in der Gottheit ein Gedrittes: Aber dasselbe Gedritte sind Personen der einigen Gottheit / nicht drey Götter/ nicht drey Herren/ nicht drey Schöpfser/ sondern ein Gott/ ein Herr/ ein Schöpfser. Ich nerne es ein Gedrittes : Denn Dreyfaltigkeit lautet ebenthürlisch/ und ich kan ihm keinen rechten Nahmen geben. Et Chernnicius in der Postill Fest. Trinit. Es wird also grob genennet Dreyfaltigkeit/ als wenn ein dreyfältiger Gott/ oder Dreyfaltigkeit in dem Göttlichen Wesen wäre/ da doch keine solche Dreyfaltigkeit ist. Darumb wäre es besser/ man nennete es Dreyeinigkeit / oder Dreyheit/ weil im Göttlichen Wesen ein einiger Gott ist/ und doch drey unterschiedene Personett. Melius verò Trinitatis Vocabulum Germanicè vertitur Dreyeinigkeit/ vel Dreyeinheit/ quæ hodie etiam maximè usitata sunt. Judæi, animo infenso, תִּלְשׁ appellant.

II.

Præter Trinitatis Vocem, cui merito primum locum dedimus, aliae hic adhibentur, quales sunt: ἐστια, seu Essentia, Hypostasis, περιχώρη, Persona, ιπότοξος οὐρανος, οὐρανος, περιχώρης; De quibus etiam breviter agendum venit. ουσιας Vox, (Hebr. נִשָּׂו Job. 12, 19.) quæ

Esen-

*Essentiam Latinè significat, non quidem totidem literis, quoad rem tamen & Synonyma, qualia sunt: Θεότης, Col. 2, 9. Θεότης, Rom. 1, 20. Θεῖα φύσις, 2. Pet. 1, 4 i.e. Deitas, Divina Natura; in Sacris literis, extat. ἡσία & φύσις s. *Essentia & Natura* hic pro eodem accipiuntur: πάντα γράμματα φύσις λέγεται; ait Aristot. l. 4. Metaph. Sic quoque Damascenus in Εἰσαγωγῇ δογμάτων Cap. 1. ἡσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ, καὶ τὰς ἀγίας πατέρας, ταῦτα εἴσιν. h. e. *Essentia, Natura, Forma secundum Sanctos Patres idem sunt.* Recte tamen observavit Danaeus Exam. Lib. Chemnit. de duab. Nat. p. 13. (in Operib. p. 1354.) et si ἡσία & φύσις à Patribus pro re eadem usurpentur; inter se tamen differre. Nam ἡσία Vox in Niceno Concilio à Patribus ex mente Scripturæ usurpata, in Chalcedonensi Concilio postea sic explicata est, ut ἡσία sit rei cuiusque simplex & omnibus suis proprietatibus atque accidentibus destituta constitutio; φύσις verò seu Natura sit essentia Proprietatibus suis vestita. Quocirca decreverunt ejus Concilii Patres, in una Christi persona esse non modo ipsas simplices ἡσίας, divinam np. & humanam; sed & φύσεις, i.e. essentias suis veris Proprietatibus conjunctas, easque in una Christi persona manere salvas & incolumes, minimeque confusas. Quod Monothelitarum & Monophysitarum errorem, postea exortum, jugulabat. Quam Danæi Observationem probat D. Joh. Georg. Dorscheus Pentadec. Disp. Prælim. §. 10. p. 6. & D. Quenstedt Syst. Theol. Part. I. C. 9. Sect. I. Thes. 6. p. m. 320. μορφὴ, vox à rebus artificialibus ad res naturales, creatas, & ab his ad divinas traducta non solum ἡσίας & proprietates rei essentiales, sed alia quoque adjuncta designat, quæ rei naturam consequi solent. Cum Voce Essentiæ, & Naturæ cohæret Vox Substantie, quæ Deo tribuenda est, non*

non quat. substat Accidentibus, sed à substando, quia à seipso, seipso & per seipsum subsistit, ita ut nulla alia re ad suam Essentiam & Perseverantiam in ea indigeat ac prima Causa sit omniū substancialium. Veteres Essentiaz, quam Substantiaz nomine uti maluerunt. Quare Augustinus lib. 7. de Trinit. c. 4. ait: *Essentia Vocabulum propriè competit Deo, substancia verò Vox de eo abusive dicitur.* Procul dubio, ut significarent, Deum non inclusum esse Prædicamentis, sed Categorij Aristotelicis, ut pote ἐστιν ὑπερέστιον, superiorem esse. Hierotheus ap. Dionys. lib. 1. de Divin. Nom. c. 1. inquit: *Essentia Dei est ὑπερέστιος ὑπερέστιος ἔχων τὸ ὑπερέστιον;* & Jamblichus Platonicus Deum ἐστιν τὴν προτεραίην καὶ τημοτάτην καὶ καθ' αὐτὸν ὅστιν appellat; Philo de Monarchia τὸν ὅντας ὄντα. Anshelmus in Monol. c. 26. scribit: *Substantia divina nullo communis substancialium tractatu includitur.* Quia verò vox Substantie à plerisque quidem pro *Essentia*, ab aliis tamen pro *Subsistens* accepta fuit; Inde Hilarius tres in Deo *Substantias* concescit lib. de Synod. ubi fidem Concilii Antiocheni explicat. Verum rectius una tantum in Deo Substantia adseritur, quia usus communis apud Latinos Substantiaz Vocabulum pro *Essentia* accipit. Præterea Tertullianus Lib. contra Præream unam in Deo Substantiam solummodo agnoscit. Hieronymus in Epist. ad Damasum querit: *Quis rogo ore sacrilego tres Substantias predicabit?* Augustin. l. 5. de Trin. c. 9. & l. 7. c. 4. it. Ruffinus lib. 10. Hist. c. 29. unam Substantiam admittunt, tres negant. Tandem Concilium Tolet. 2. ap. Caranz. Summæ Concil. p. m. 300. & Lateran. sub Innocent. III. c. 2. p. 600. unam in Deo Substantiam esse definiverunt.

III. Tertiò considerandæ sunt Voces, Personam  
Significantes. Illarum prima est *Hypostasis*. Hæc in S.  
Scriptura extat: Occurrit enim Hebr. 1, 3. c. 3, 14. c. 11, 1.  
2. Cor. 9, 4. c. 11, 17. Negat Socrates Histor. Eccles. lib.  
3. c. 5. apud Profanos Græcos Scriptores eam reperiri,  
his verbis: *Qui Græcam inter Græcos Sapientiam & doctrinam explicare nituntur, & tamen i. e. Essentiam multis modis sumi definiverunt; De Hypostasi i.e. Substantia s. Persona autem nullam fecere mentionem: Imo vero Ireneus Grammaticus in Attice Lingua Dictionario vocem barbaram appellat: nam apud nullum veterem Scriptorem reperiri: Circa quæ tamen notandum: Budæum citare Aristotelem & Themistium, qui hac voce usi sint. Imo ipse Socrates citat Sophoclem & Menandrum. Nobis sufficit, quod in Scriptura legatur. Vox hæc Composita est ex ὑπό sub, & ἰδειν, ιδων λ. ιδω statuo, facio stare, pono, stabilio. Unde φίσαδας subsistere, firmiter stabilitum esse: Indeque, non commoveri, trepidare, sustinere impetum, notat. Ex quibus patet, secundum Bellarm. l. 2. de Christo c. 4. & Polan. Synt. Theol. Lib. 3. Cap. 1. p. m. 547. rectè generaliter reddi, Fundamentum s. basis, que ipsa per se subsistens alia sustentat. Socrates c. 1. observat; sicubi forte reperiatur, non eam rem significare, pro qua jam capitul; etenim apud Sophoclem in Phænico, ὑπόστασιν significare; apud Menandrum autem *Condimenta*: posse etiam dici *feces vini* in dolio. Usum Ecclesiasticum quod attinet; Apostolus vocem hanc de Christo usurpat, Heb. 1, 3. inquiens: ος ἦν ἀπάνυασμα, της δόξης καὶ χαρακήρ της ὑποστάσεως αὐτῆς, Φέρει τὰ πάσα τῶν ἔργων της δυνάμεως αὐτῆς &c. Quæ verba Vulgata ita vertit: *Qui cum sit splendor gloria & figura substantia ejus, portat omnia verbo virtutis sua.**

Eras-

Erasmus: *Qui cum sit splendor gloria & expressa imago Substantie illius, moderatur omnia Verbo potentiae sue.* Sic Lutherus: *Er ist der Glanz der Herrlichkeit / und das Ebenbild seines Wesens.* Beza verò: *Qui cum sit effulgentia gloria & character personae illius, sustinet omnia verbo illo suo potente.* Et Piscator: *Er ist der aufgegossene Glanz seiner Herrlichkeit / und das ausgedruckte Ebenbild seiner Person.* Ubi conspicuum est, *Vulgatum, Erasmus & Lutherum* vocem, *Hypostasis, pro Essentia s. Substantia,* cum *Vetustissimis Primitivæ Ecclesiæ Doctoribus; Bezan & Piscatorem* verò cum *Posterioribus Doctoribus & Scholasticis* pro *Persona* accepisse. Scilicet disenserunt olim ipsi etiam Catholici inter se de genuina significatiōne Vociis *Hypostasis;* qvæ non modo à Patribus qui vixerunt ante Concilium Nicaenum, sed ab ipsis quoque Nicænis Patribus non aliter quam pro *σοιᾳ, Essentia & Substantia,* rarissimè verò pro Persona accepta fuit; ut inter alios testatur Dionys. Petavius Dogmatum Theol. Tom. 2. Lib. 1. C. 3. §. 3. p. m. 12. & Lib. 4. C. 1. §. 5. seqq. p. 313. seqq. In Concilio Nicæno dominantur, qui statuebant Filium οὐ εἶναι τὸν θεόν, ἀλλὰ θεόν, ex alia Substantia seu Natura esse. In Synodo Sardicensi 250. Episcopi Catholicæ, Arianorum hostes acerrimi, Epistolâ Synodica, notanter ita loqvuntur: *Nos hanc accepimus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus Catholicam Traditionem, Fidem, Confessionem, videlicet quod una sit Hypostasis (quam vocem heretici usurpant pro Substantia) Patris, Filii & Spiritus S. referente Theodoreto Histor. Eccles. Lib. 2. c. 8. p. m. 58.* Pro eadem significatione Athanas. Epist. ad African. & Antioch. scribit: οὐανούενον ἔχει ἡ δυρὸς τὸ οὐ, i.e. *Hypostasis Essentia est, nec quidquam aliud significat, quam id quod est.* Pro qua si-

gnificatione Petavius Tom. 2. Dogm. Theol. lib. 4. c. 1.  
 §. 5. p. m. 313. 314. seqq. etiam Irenæi, Originis, Basili, E-  
 piphanii, Cyrilli Hierosolymitani, Cyrilli Alexandrini,  
 & Theodoreti verba producit. Notabilia de li-  
 te circa hanc Vocem, sunt verba Hieronymi Epist. 57.  
 ad Damasum, ubi hunc ita alloquitur: *Post Nicenam Fi-  
 dem, post Alexandrinum, juncto pariter Occidente, Decretum,*  
 trium Hypostasem, ab Arrianorum Presule & Campensibus, no-  
 vellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui queso ista  
 Apostoli prodidere? Quis novus Magister Gentium Paulus id  
 docuit? Interrogemus quid per tres Hypostases possè arbitren-  
 tur intelligi? Tres Personas subsistentes ajunt, Respondemus,  
 nos ita credere. Non sufficit sensus; ipsum nomen efflagitant,  
 quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres  
 Hypostases aut tria Enhypostata h. e. tres subsistentes Personas  
 non confiteatur, Anathema sit. Et quia vocabula non edisci-  
 mus heretici judicamur. Si quis autem hypostasin usum in-  
 telligens, non in tribus personis unam hypostasin dicit, alienus  
 à Christo est: Et sub hac confessione vobiscum pariter cauterio  
 unionis inurimur. Discernite, si placet, obsecro: non timebo  
 tres hypostases dicere, si jubetis: condatur nova, post Nicenam,  
 fides: Et similibus verbis, cum Arianis confiteamur orthodoxi.  
 Tota secularium literarum schola nihil aliud Hypostasin, nisi  
 usum novit. Et quis rogo, ora sacrilego tres substantias pre-  
 dicabit? Post pauca: Quisquis tres esse hypostases, id est usus  
 dicit, sub nomine pietatis, tres naturas conatur asserere. Et  
 si ita est, cur ab Ario parietibus separamur, persidia copulati?  
 Paulo post: Taceantur tres hypostases, si placet, Et una te-  
 neatur. Aut si rectum putabis tres hypostases cum suis inter-  
 pretationibus debere nos dicere, non negamus. Bene inter-  
 pretantur Hypostasin, Et cum id, quod ipsi exponunt, habere  
 me dicam, hereticus judicor. Tandem: Quamobrem obie-  
 ster

sfor Beatitudinem tuam, per crucifixum, mundi salutem, per  
 homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive  
 dicendarum hypostasē detur auctoritas. Non minus tamen  
 illustria sunt Documenta in Patrum scriptis, Proabantia,  
 Vocem Hypostasis pro Persona acceptam esse: In Synodo A-  
 lexandrina Episcopi Catholici, cum Hosio Episcopo Cor-  
 dubensi, ab Imperatore Constantino, ad tu multum ab A-  
 rio concitatum, sedandum miso, item Athanasio &  
 Eusebio, conjuncti, non tantum Concilium Nicænum  
 confirmarunt, & Spiritus S. cum Patre & Filio Consub-  
 stantialitatem affirmarunt; Sed & de Nominibus ἁγίας  
 & Hypostaseos egerunt: Non oportere, cum de Deo sermo-  
 sit institutus, his verbis uti: Nam ἁγίας nomen in Sacris li-  
 teris non reperiri; Voce autem Ἰωάννου, Apostolum, dogma-  
 tum tradendorum necessitate adductum, usum fuisse. Proin-  
 de voces istas, ad opinionem Sabellii explodendam, admittendas  
 esse decreverunt, ne, verborum inopiam, rem, que triplici nomi-  
 ne nuncupatur, quasi unam putare cogamur; sed ut singula  
 nomina Trinitatis, ē idīc Ἰωάννου, h.e. in propria subsisten-  
 te Persona Deum significant; auctore Socrate Hist. Eccles.  
 Lib. 3. C. 5. p. m. 619. & Sozom. Histor. Eccles. Lib. 5. c. II.  
 p. m. 347. Concilium Constantinop. I. Oecumenicum secun-  
 dum, in Epistola Synodica, ad Damasum, aliasq; Romæ  
 congregatos Episcopos, ex Baptismi formula, conclu-  
 dit: Unam esse Patris Filii & Spiritus S. equalitatem, dignita-  
 tem & coeternum regnum in tribus perfectis Ἰωάννοις, id  
 est, in tribus Personis; apud Theodoreum Histor. Eccles.  
 lib. 5. c. 9. p. m. 151. Concilium Chalcedonense in Expositio-  
 ne Fidei, unam Christi Hypostasin adserens, procul dubio  
 Personam intellexit. Concilium Constantinopol. V. Canone I.  
 Anathema dicit negantibus Trinitatem Consubstantia-  
 lem in tribus Subsistentiis s. Personis adorandam. Ibid.  
 B. 3. Can.

Can. 4. 5. 7. 8. unam in Christo Subsistentiam s. Personam agnoscit. ap. Caranzam in Summa Concil. p. m. 312. seq. Similiter Concilium Constantinopol. VI. Generale appellatum contra Monotheletas habitum, pluribus locis, nominatim in Epistola Agathonis, it. Sophronii actandem in Expositione Fidei ap. Caranz. p. 450. 451. 453. 457. 458. Imperatores Valentinianus, Valens & Gratianus, in Epistola ad Episcopos Asianos, confitentur, *unam eandemq. Essentiam esse Patris, & Filii & Spiritus S. in tribus Personis*, hoc est, in tribus perfectis, ut Greci loquuntur, θεοῖς: apud Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 7. p. m. 114. Ex Patribus Vocem hanc pro Persona usurpant Dionysius Alexandrinus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregor. Nyssenus, Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Amphilochius, Joh. Damascenus &c. quorum testimonia collegit Petavius Dogm. Theol. Tom. 2. lib. 4. C. 1. §. 13. p. m. 318. 319. Hos deinceps secuti sunt Scholastici, & Protestantium Doctores in universum omnes, hancque significationem Hypostaseos unanimiter probarunt. Ad Consensum fundamentalem Patrum, in speciem, dissidentium eo melius intelligendum non dividiae erit adhuc adjicere verba Ruffini Histor. lib. 1. c. 29. Sed et de Differentia Substantiarum & Subsistentiarum sermo eis per Scripturam motus est; Graci & οὐσίας & ύποστάσεις vocant. Quidam enim dicebant Substantiam & Subsistentiam unam videri, & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud Substantia, quam Subsistencia significare videbatur, dicebant, quia Substantia ipsa rei alicujus naturam rationemque, qua constat, designet; Subsistencia autem uniuscujusque persone hoc ipsum quod extat & subsistit ostendat. Ideoque propter Sabellij heresin tres esse Subsistencias confitendas; quod quasi

(15.)

quasi tres subsistentes personas significare videretur, ne suspiccionem daremus, tanquam illius fidei sectatores, qua Trinitatem in nominibus tantum, & non in rebus ac subsistentiis constitetur. & verba Joh Damasceni Dialet. c. 42. Nomen hypostasis duo significat: interdum simplicem extantiam: qua in notione idem est uisus & hypostasis. Unde quidam e Sanctis Patribus naturas ipsas appellant, nempe hypostases. Alias extantiam illam, que est per se, & propriam habet consistendū rationem. Atque in ista significatione individuum designat numero differens. Atque hoc posteriori sensu Patres Catholici Nomen Hypostaseos Sabellio opposuerunt, felici successu. Duplicem Interpretationem Loci Hebr. 1, 3. supra allatam quod attinet, utraque est Orthodoxa: Si enim Pater & Filius ad se invicem referantur, ut Relatum ad Correlatum, vox ἵππος στόσως relate pro Persona Patris accipietur, quae est Archetypum, ad quod imago expressa s. Character & Correlatum, quod est Filius, refertur, sive cuius formam imago hæc exprimit; Siverò per vocabulum Hypostaseos id intelligatur, in quo convenienter Prototypon & Imago s. Character ac res Characterisata, vox hæc significabit ipsam Essentiam Patris. Vid. Gerhard. Exeg. de Trinit. §. 55. & D. Joh. Bened. Carpzov. Specim. Theol. Chemnit. Loc. 3. Cap. 1. Th. 6. §. 3. p. 85. Secunda Vox Personam significans, est πρόσωπον, qd. d. πρὸς ὄψας ad faciem, ad visum s. ad oculum; ita ut ratione Erymi sit, externa Species vel apparentia. Unde Significat 1. exterum. Statum s. Conditionem hominum s. externas vel animi, vel corporis vel fortunarum qualitates, sive illæ verae sint sive apparentes, quæ ad Statum Causæ minimè pertinent; quales sunt v. gr. Scientia, Eruditio, Ars; Statura, fama, robur; Genus, Patria, Gens, Opes, honores: Quapropter, vetamur

πρόσωπον.

προσωποληπτῶν. Jac. 2, 9. 2. ipsam hominum vel Entium rationalium s. Intellectualium substantiam & subsistentiam, quo sensu Paulus accipit 2. Cor. 1, ii. atque hic accipienda est. Idque magis elucebit ex *Tertio*, hic attendenda, Voce, *Personæ*, quæ non à *personando*, quod C. Bassus ap. A. Gellium lib. 5. c. 8. vult, formatur; Sed rectius juxta Scaligerum lib. 1. Poet. Cap. 13. & Christ. Beccianum Orig. Lat. Ling. p.m. 845 846. dicitur, quasi περὶ σώμα. Ratione Significationis, observante Matth. Martinio in Lexico Philol. est *Personæ* 1. figura eminens in ædificiis, quæ vel ore vel alia corporis parte aquam fundit; inde ita dicta, quia plerumque hominem aut etiam aliud quid repræsentat. 2. facies ficta apposititia, s. Larva Scenica, eum in finem assumta, ut melius eum, cuius loco est, referre possit. 3. homo qui sub hujusmodi figura alium repræsentat; ut in Comœdia vel Tragœdia quis Regem vel Servum agit. 4. Accidens Conditio vel status hominis, s. qualitas, qua homo differt ab homine, tum Animo, tum corpore, tum fortuna, & 5. homo dicta qualitate præditus. Quo sensu Deus Judicibus prohibet Personarum respectum Lev. 19, 15. Deut. 1, 17. Prov. 18, 5. Prov. 28, 21. 6. homo insigni qualitate sive in Ecclesia sive Rep. præditus, ut Episcopus, Senator, Consul. Quæ acceptiones omnes hic alienæ sunt. 7. In Sacris; Individua Substantia intelligens quælibet, sive increata, divina; sive creata, Angelica vel humana; ἵψιστον νοεῖν, subpositum intelligens vel intellectuale, dicta. Quæ *Personæ* significatio, quat. πόσασιν divinam infert, est hujus loci. Estque Latina vox ἄγραφος; Nam, docente Augustino, lib. 7. de Trinit. c. 4. *Licuit loquendi & disputandi necessitate tres Personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.*

Quam-

Quamvis verò Personæ Vox proprie non Abstracta, sed Concreta sit, quæ præter formam, quæ est Personalitas, Subiectum quoque infert cum forma à qua denominatur; quandoque tamen Abstractè sumitur: Unde fit, ut Personæ divinæ etiam bifariam considerentur; vel *Concretive*, quando res eum Modo Subsistendi, voce Personæ indicatur, ut cum Filius dicitur existere in forma Dei, Phil. 2, 6. vel *Abstractivè*, quando Persona ipsam Personalitatem s. rationem subsistendi notat, ut cum Filius dicitur Character Hypostaseos Patris, Heb. 1, 3. Inde duplex quoque Persona Divinæ *Definitio* orta est; altera *Concretiva* qualis est illa Boethii: *Persona est rationalis naturæ Individua Substantia*; vel illa Melanchthonis & Ursini: *Persona est Individuum Subsistens, vivum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio, nec pars alterius*; Vel Persona est *Suppositum intelligens*: altera *Abstractiva*, qualis est Joh. Calvini Lib. I. Inst. c. 13. §. 6. ubi dicit, *Personam esse Subsistentiam in Essentia Dei, qua ad alios relata Proprietate incommunicabili distinguitur*. Et aliorum: *Persona est Natura Intellectus incommunicabilis existentia*; qui ea in re sequuntur Justinum Mart. & Damascenum, qui Personam per τόπον ὑπάρχειν s. modum subsistendi definiverant. Cartesiani volunt, Personalitatem non inferre aliquid Positivi, sed esse meram negationem Conjunctionis essentiæ divinæ cum alia re, ad constituendum unum Suppositum; qua in re, ratione Personarum Creatarum, Scotistas sibi consentientes habent; Verùm præstat, dicere, quamvis modi illi subsistendi plerumque negative per Incommunicabilitatem exprimantur; Personalitatem tamen, saltem in Divinis, inferre ejusmodi Complementum positivum per quod Essentia ita completa sit in se, ut cum alia re

C

amplius

amplius conjungi vel uniri non posse; ac proinde incommunicabilitatem illam non in merè negativo, sed in aliquo Positivo, quod sit formaliter Personæ constitutivum, fundari, et si difficile dictu sit, quid sit illud Positivum. Nam alias Trinitatis Conceptus merè negativus esset, ac tres Personæ Trinitatis in Esse suo personali constituerentur atque à se invicem per puram negationem distinguerentur, & opera personalia ad intra non nisi negativum Principium haberent. Justinus Martyr in Expositione Fidei docet, Personam divinam esse τρόπον ὑπάρχειαν s. Modum existendi; ὑπάρχειαν voce hīc non generaliter pro Existentia s. Extrantia (ut Thomas Aquinas sape loquitur) neque pro Essentia personis communi, sed pro peculiari, singulari, & proprio existendi s. subsistendi modo, accepta; quem ὑπάρχειαν τρόπον Cyrus Alexandrinus ὑπάρχειν idian, τὴν πατ' idian ὑπάρχειν, & τὴν πατ' ἐαυτὸν ὑπάρχειν, eodem sensu, quo ὑπόστασιν idian appellat. Vid. Petav. Dogm. Theol. Tom. 2. l. 4. c. 2. §. II. 12. p. m. 325. 326. 327. Neque huic phratī quidquam decedit, etiam si iftius *Expositionis fidei* Auctor Justinus Martyr esse negetur, ut volunt Bellarm. de Scriptor. Eccles. p. m. 32. & Rivetus in Critico Sacro, &c. Sufficit enim, quod ejus Auctor sit Doctor Catholicus & Orthodoxus, & quod alii Patres eandem Vocabulū adhibuerunt.

*IV.* Vox, οὐσίας, *Consubstantialis*, -instar Lapidis Lydii fuit, quo Catholici ab Ariani dignoscabantur. Nam Cum Arius cum Sequacibus non negaret Christum esse Deum, minorem tamen Patre, etiam ratione Deitatis, ante Creationem hujus Universi εἰς τὸν δῆμον creatum, ad Conditoris sui tamen τελείαν οὐσίαν, perfectam

fectam similitudinem, per quem, Spiritum, Angelis multo præstantiorem ac superiorem, ut Instrumentum, Deus Pater omnes reliquas Creaturas produxerit; ac proinde *τέρπον*, *diuersa à Patre essentia*, affereret; Volumerunt Orthodoxi Arianis omnes latebras præclude-re, omnesque rimas elabendi obstruere, dicendo, Fi-lium Patri esse *όμοιον*, *Consubstantiale*, ac *οὐαδίον Coe-ternum*, utpote ab æterno genitum, non factum; quod nulla arte eludere ac depravare potuerunt. Quod Lutherus, significantibus verbis, ita exprimit Lib. de Con-cil. & Eccles. Tom. 7. Jen. Germ. fol. 257. Da es gieng an das Herz / daß Christus homousius sei / mit dem Va-ter / das ist / das Christus mit dem Vater gleich und ei-nerley Gottheit / gleich und einerley Gewalt habe / da künften sie keinen Tück / Loch / Rand noch Zwang mehr finden. Non dixerunt Personas Trinitatis *οὐαδίοις*, i. e. quamlibet personam habere suam essentiam solita-riam & nullum aliud individuum suæ Substantiæ simile habens, quales sunt Species Monadicæ, ut Sol, Luna, Cœlum; quo Sensu tres Dii admissi fuissent: neque *συνάστοις* i. e. *essentiā conjunctōs*, etiamsi unus non sit ab alio, neque eandem essentiam communem singularem habeat, quo sensu homines sunt *συνάστοι*, qui unam com-munem essentiam habent; vel (quod Petavius vult) quia vox *συνάστοις* significat τὴν συναλοιφὴν s. Confusionem Personarum; De quorum vocabulorum discrimine E-piphanius in Ancorato N. 6. scribit: ἡ συνάστοις, ἀλλ' ὁμο-ἴστοις, ταῦται ἐξ ἔξωθεν τῇ πατρὸς γεννηθεὶς, ὡς τινες ἐιρωνείᾳ Φέρονται, θέσται θέλοντες εἶναι τὸν μὲν καὶ ἐκ αἱληθεῖα. σύνδο-μος δὲ τῆς πίστεως, ὁμοἴστοις λέγεται. εἰὰν γάρ ἐπηγε τὸ ὁμοἴστον, ἐλυ-στας Σαβελλία τὴν δύναμιν. ὅπτε γάρ ὁμοἴστον, μιᾶς ὑποστάσεως ἐξὶ δηλωτικόν. Neque ταὐλογίαις, i.e. ejusdem Essentie & Sub-sisten-

*ſiſtentia*, ne vox iſta, à nonnullis usurpata, Sabellianum ad dogma trahatur; ut ait Epiph. Hær. 76. N. 7. Sed ὁμοοὐσιοὶς dicimus, pergit ibid. Epiphanius, ut *Sancta Fides* habet, ut particula ὡνᾶ perfectas personas significet, quoniam *Filius ex Patre, Perfectus ex perfecto; perfectus itidem est Spiritus S.* Quod tamen non ita accipiendum eſt, qſ. ὁμοὶ proprie *Perfectum* significet; Sed quod unitatem ac identitatem naturae inferat, quae in singulis perfecta & integra eſt. Vid. Polan. Synt. Theol. l. 3. c. 8. §. 4 p. m. 620. 621. & Petav. Dogm. Theol. Tom. 2. l. 4. c. 5. §. 17. p. 357. Vox ὁμοοὐσιοὶς Arianis, quia eā se conſtrinki ſentiebant, adeò inviſa fuit, ut eam non ſolum recens Patrum Nicænorum inventum, Scripturæ & Veteribus prorsus ignotum, ſed & Catholicos propter hanc Vocem adhibitam, *Homousianos*, vocârint; Ad fraudem igitur converſi Synodus Nicænam unius literæ adjectione corruperunt, ac pro ὁμοοὐσιοὶς ejusdem *essentialē*, ὁμοοὐσιοὶς, *ſimilis essentialē*, poſuerunt. Theodoreetus Hift. Eccl. l. 2. c. 18. p. m. 70. Qua fraude circumventi non pauci simpliciores Orthodoxi, præſertim in Concilio Ariminensi & Seleuciensi, ambiguae Arianorum formulæ ſubſcripſerunt. Quam inconstantiam illorum temporum Hilarius, Pictaviensium Episcopus Catholicus, ad Constant. Imperat. deplorat his verbis: *Post Nicenam Synodum nihil aliud quam Fidem ſcribimus; dum in verbis pugna eſt; dum de novitatibus queſtio eſt; dum de ambiguis, dum de Aucto-ribus querela eſt; dum de Studiis certamen eſt; dum in conſensu diſſicculas eſt; dumque alter alteri anathema eſſe cœpit, prop̄ jam nemo eſt Christi.* Proxiſi anni Fides quid immu- tationis habet? Primum Decretum Homouſion decernit ta- ceri: Sequens rurſus Homouſion decernit & predicit: Terti- um Uſiam ſimpliciter à Patribus præſumptam per indulgenti-

an

am excusat: Quartum non excusat, sed condemnat. Tandem  
 è processum est, ut neque penes nos, neque penes quenquam  
 ante nos, sanctum exinde atquid atque inviolabile perseveret.  
 Annus atque menstruus de Deo Fides decernimus, decretis  
 pénitentia, pénitentes defendimus, defensos anathematiza-  
 mus, aut in nostris aliena, aut in alienis nostra dannamus &  
 mordentes invicem jam absumpti sumus! Non disimulandum  
 quidem, Patres Catholicos, Synodo Nicæna antiquiores,  
 numero 70, secundum Athanasium; vel se-  
 cundum Hilarium 80, in Concilio Antiocheno A. 275.  
 contra Paulum Samosatenum habito, diserte negavisse,  
 Filium esse Patri οὐοστὸν; Verum non simpliciter id  
 negaverunt, sed ex mente Samosateni, qui vocem hanc  
 corporaliter accipiebat. Samosatenus enim negabat  
 Filium ab æterno Deum extitisse, sed in tempore De-  
 um factum esse, hoc usus Argumento, quod nisi ita esset,  
 consecuturum esse, illum esse Patri consubstantiam, adeoque  
 tres esse Substantias, unam primariam, duas ex illa derivatas  
 nam ita perperam τὸ οὐοστὸν interpretabatur, ut in re-  
 bus creatis & corporeis una aliqua Substantia diversa &  
 separata altera propagetur: ita & in Divinis futurum.  
 Atque hoc, & non alio, sensu Patres Antiocheni Filium  
 Dei, Patri οὐοστὸν esse negaverunt; Patres Concilii Ni-  
 cæni verò eo sensu, quo ambo Dionysii, Romanus &  
 Alexandrinus, Concilio Antiocheno antiquiores, Fili-  
 um Patri οὐοστὸν esse dixerunt. Vide Polan. Syntagm.  
 Theol. lib. 3. c. 8. §. 4. p. m. 621. & Petav. Dogm. Theol.  
 lib. 4. c. 5. §. 2. p. m. 348. Notat verò hic Vocabulum  
 οὐοστὸς Identitatem Essentiae non Specificam, sed Numericam;  
 Equidem Steph. Curcellæus Relig. Christ. Instit. lib. 2.  
 c. 20. §. 5. p. 74. & Dissertat. de Vocibus Trinitatis, Per-  
 sonæ &c. §. 70. seqq. p. m. 850. 851. seqq. magno conatu

probare satagit, Patres Voce ὁμογενος Unitatem Specificam non Numericam significasse. Verum Resp. 1. quamvis Patres non semper in rigore Scholastico locuti sint, attamen 2. cum hæc hujus Vocis, de specifica tantum Unitate, significatio tres æquales & coæternos Deos inferat, inde religio nobis sit, hanc sententiam Patribus tribuere; præsertim 3. cum Patres unam eandemq; Essentiam Patri & Filio contra Arianos tribuerint; & 4. eo nomine Patrem & Filium συντάξει esse negaverint, ne solam Unitatem & identitatem Specificam agnoscere viderentur. Ita enim Epiphanius in Ancorato N. 6. Filius Patri non συντάξει h. e. simul essentiam habens, sed ὁμογενος i. e. coessentialis vel Consustancialis, h. e. non extra Patrem genitus, velut quidam per cavillum dicunt &c. Vid. hic p. 19. 5. Athanasius lib. de Decret. Synodi Nicæn. Tom. 1. fol. 269. conceptis verbis identitatem Specificam, qualis inter Parentes & Liberos locum habet, hic excludit: *Siquidem Corpora invicem similis distare possunt & longè à se invicem disjungi, quales sunt liberi, qui similitudine parentes referunt, quomodo descriptum est de Adamo, & ex ipso genito Seth, quod fuerit illi uelā idem idem specie similis; Ceterum quandoquidem illa ex Patre Filii generatio, alia est a natura hominum, Filiusque non solum similis, sed indisparabilis est a Patris Substantia, & quia unum sunt, semperque in Patre est Verbum, & Pater in eo sicut splendor respectu lucis, ideo Synodus re percossa Consustanciales esse tradidit.* 6. alias nihil hic mirandum & ἀναρδηγόν esset, contra communem Patrum Sententiam; Inde conficitur, Patres hic non ὁμογενεῖ & Unitatem Specificam, saltem non solam, sed numericam intellexisse. Nam 7. controversia caret, quando Patres docent, Christum secundum humana-

nam

nam Naturam nobis ὁμοίωσιν, s. Consubstantialem esse, id non de numerica, sed de Specifica Unitate & identitate accipiendum esse. Quomodo Concilium Chalcedonense definitivit: Filium esse ὁμούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα καὶ ὁμούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν αὐθητικότητα. i.e. *Consubstantialm Patri secundum Deitatem, Consubstantialem nobis secundum Humanitatem.* Tandem & Vox ἐμπεριχωρησίς hic tangenda est, quae quidem æquè ut præcedens ὁμούσιος ἄγραφος est, nec tamen etiam sine ratione à Veteribus adhibita fuit. Significat enim hæc ἵδιλλος ἐμπεριχωρησίς intimam Personarum divinarum Unionem, *inexistentiā* atque *immanentiam*, quam mutuam *Circumincisionem* & *Circumplexionem* appellant, qua Pater in Filio & Sp. S. Pater & Spiritus in Filio, ac Filius & Sp. S. in Patre sunt. Joh. 10, 38. *Pater in me est & Ego in Patre.* Joh. 14. 10. *Non creditis, quod Ego in Patre & Pater in me est?* Joh. 17, 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & Ego in Te, ut & ipsi in Nobis unum sint.*

§. V.

*Quia* vero hucusque allati & explicati Terminii, (saltem non omnes) in Scriptura totidem apicibus non inveniuntur; hinc Sociniani, & Remonstrantes recentiores, atque inter hos Steph. Curcellæus Relig. Christ. Instit. lib. 2. c. 20. p. 73. 74. in Præfat. in Opera Episcopii §. 6. p. 795. seq. & integra Disserrat. de Vocibus Trinitatis, Hypostas. Personæ &c. p. 811. 812. seqq. negant, has Voces in Ecclesia ferendas, & adhibendas, volunt que è contrario, eas ut temere, nec tantum præter, sed & contra Sacrae Scripturæ mentem ac doctrinam receptas, prorsus eliminandas esse. Nos, præmissis aliquot Cautionibus & Thesibus ad Statum Controversiarum recte percipiendum necessariis, mentem nostram decla-

declarabimus. I. Apud omnes pios Theologos certum est, omnes profanas κενοφωνίας (& καινοφωνίας, ut Vulgata legisse videtur) i. e. voces vanas & novas vietandas & fugiendas esse, juxta monitum Pauli 1. Tim. 6, 20. *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Nam, cum, & sub, novis vocibus & phrasibus nova & inusitata dogmata invehī solent, quæ litium materiam plerumque præbent. II. In confessō quoque est, ipsis Scripturæ vocibus ac phrasibus, quam fieri potest, religiosissime utendum esse, cum nulla verba, Spiritū S. mentem & sensum exactius exprimant vel exprimere possint, quam quæ ipse Spiritus S. ad mentem suam nobis declarandam adhibuit atque ore suo consecravit. Qua in re nobis præeunt Apostoli, qui licet θεόπνευστοι, plerumque tamen easdem Voces & phrases usurpant, quibus Moses & Prophetæ usi fuerunt. Unde hæc eorum effata 1. Pet. 4, 11. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* 1. Cor. 2, 13. *Loquimur sermones, quos docet Spiritus S.* 1. Tim. 6, 3. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri J. C.* & ei, que secundum Pietatem est, doctrine, superbus est nihil sciens sed langvens circa quaestiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones. &c. 2. Tim. 1, 13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu.* Col. 2, 4. *Nemo vos decipiatur in sublimitate sermonum ēv. πιθανολογίᾳ.* III. Exploratum item omnibus rerum Theologicarum gnaris est, Terminos in dogmate Trinitatis adhiberi solitos non absolute & simpliciter necessarios esse, quasi finis, salus æterna, sine illis obtineri, vera fides sine illorum adminiculo tradi, & heterodoxia sine illis dignosci & refelli nequeat. Nam Fides Christiana salva & incolumis est, sive tres Hypostases vel personæ

sonæ ὄντοι s. coessentialis dicantur sive taceantur, modò sincerè recipiatur, quod totidem verbis in Scriptura legitur, agnoscaturque Pater, Filius, & Spiritus S. verus Deus, ita tamen, ut Pater non sit Filius, nec Filius Pater, nec Pater & Filius sit Spiritus S. Joh. Calvin Institut. I. c. 13. §. 5. Herm. Hildebrandus in Præfat. ad Orthodox. Declarat. Articulor. trium p. 67, 68. Gerhard. Loc. Commun. 3. de Trinit. c. 2. th. 42. D. Joh. Bened. Carpzov. Specim. Theol. Chemnit. Loc. 3. C. 1. Thes. 2. §. 6. p. 79. Necesitas ergo Terminos & phrases has adhibendi hypothetica tantum, respectu exortarum hæresium, & Expedientia erit. Inde manifestum est IV. nec piros Christianos damnandos esse, qui non pravo affectu & contemtu; sed veneratione Scripturæ S. & Conscientia ducti malint Terminis & phrasibus Scripturæ acquiescere. Sic Lutherus in Confutat. Rationum Jac. Latomi, quæ extat Tom. 2. Jen. Lat. fol. 407. ait: *Quod si anima mea odit nomen ὄντος & nolle ea uti, modo rem temnam, in Concilio per Scripturas definitam, hereticus non ero.* Propter quæ verba hypothetica Gregor. de Valentia, & Bellarminus Præfat. in Libb. de Christo p. 227. aliquie, mala fide Lutherum Arianismi accusant. Vid. & Epist. Calvini 350. V. Constans quoque Theologorum sententia est, Voces & phrases has Ecclesiasticas Scripturæ Vocibus & phrasibus præferendas non esse. Nec VI. Terminos, præsertim Essentiæ, Substantiæ, Personæ, accipiendos esse secundum Conditionem in Subjecto vel Ente-finito, v. gr. homine; sed secundum Conceptum universalem: Nam Termino multa conveniunt respectu certi Subjecti, quæ in Conceptu ejus Universalí non requiruntur. Sic Terminus Personæ in Homine infert unam numero Essentiam ab aliis distinctam; v. gr. Petrus quia Persona est, habet suam u-

D

nam

nam numero Essentiam, ab Essentia Johannis distinguebam; hoc verò non convenit Personæ juxta Concep-tum universalem; ac proinde de Personis divinis dici non debet. Contra quam Observationem sæpe pec-cant, qui Terminos hos prorsus proscriptos volunt. Præter Theologos hic jam citatos vide omnino D. Martini Hundii Disp. Theol. de Terminis in Theolo-gia usurpandis; & Dn. D. Sam. Strimesii Dissertat. de Pace Ecclesiast. C. 4. His igitur præmissis dicimus: Quandoquidem Voces ac Termini hucusque confide-ri non sine urgente necessitate, nec temerè, sed ex gravibus causis ab Ecclesia recepti sunt, eos quoque non temerè eliminandos esse, sed tam ad Confirmationem Veritatis quam ad refutationem Errorum pie adhiberi posse. Rationes petimus 1. ab Utilitate. Faciunt enim non solum ad Doctrinæ hujus Explicationem & Confirmationem, sed & ad solidam Errorum con-futationem. 2. à Necessitate; quia, sine his Vocibus & Terminis, æquivocationes Adversariorum non tam feliciter detegi, eorumque errores refelli, possunt. 3. à pari ratione in aliis Articulis: Si enim in aliis Articulis Terminos, in Sacris literis non reperiundos, quales sunt, *Peccatum Originale & Actuale, Incarnatio, Satisfactio, Meritum, Lex Moralis, Ceremonialis, Forensis, Sacramentum &c.* usurpare licet, utique & in hoc Articulo id illicitum non erit. 4. A praxi Veterum Ecclesiæ Doctorum: Athana-s. Tom. 2. in Disp. cum Ario, coram Probo Judice Gentili: *Ecclesiastice semper moris est disciplina, si quando hereticorum nova doctrina exurgit, contra insolentes quaestio-num mutationes, rebus immutabiliter manentibus, nominum vocabula immutare.* Greg. Nazianz. Orat. in S. Lumina. *Non est de nominibus odioſa contentionē certandum, quandiu syllabe*

*Syllabe ad eandem sententiam ferent. August. lib. 10. de Civit. Dei Cap. 23. Liberis vocibus loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficultissimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, que his significantur, impia gignat opinionem. Lib. 7. de Trin. c. 4. Fatalem loquendi necessitate partita esse hec vocabula, cum opus esset copiosa Disputatione adversus infidias vel errores hereticorum. Et Tr. 97. in Johann. Adversus impietatem Arianorum hereticorum novum nomen Homousion considerunt, sed non rem novam tali nomine signaverunt. Hinc Thom. I. q. 29. Art. 3. Ad inveniendum nova nomina, sicut antiquam significantia, coegerit necessitas disputandi cum hereticis. D. Lutherus lib. de Concil. & Eccles. Tom. 7. Jen. Germ. fol. 257. fac. 2. Daß man nicht solt brauchen mehr oder andere Wort/ weder in der Schrift stehēn/ daß kan man nicht halten/ sonderlich im Zanc/ und wann die Räher die Sachē mit blinden Griffen wollen falsch machen und der Schrift Wort verkehren; da wäre von nohten/ daß man die Meinung der Schrift/ so mit viel Sprüchen gesetzet/ in ein kurz und Summarien-Wort fasset und fraget/ ob sie Christum Homousium hätten/ wie der Schrift Meinung in allen worten ist/ &c.*

## §. VI.

*Quandoquidem autem Sublime hoc Mysterium Captum humanum superat, inde ex Ratione neque à priori, neque à posteriori demonstrari potest. 1. Non à priori, quia Deus ita in hac vita, qualis in se est, cognosci non potest, Exod. 33, 20 seq. Nec à posteriori; Quicquid enim ita cognoscitur, illud per visibilia & manifesta opera Creationis & Communis Providentiae colligitur; In quibus cum Imago Trinitatis non exprimatur,*

tur, inde ex illis Trinitas quoque cognosci non potest.  
 2. quia supra Rationem humanam positum est; adeò  
 quidem, ut ne revelatum quidem comprehendendi, né-  
 dum sine revelatione cognosci & demonstrari possit.  
 3. quia homines in Statu peccati, Naturâ & Ratione du-  
 ce, nequidem ad rerum naturalium & sui ipsorum inti-  
 mam cognitionem penetrant, nedum ut hoc Mysteri-  
 um, Naturâ duce, demonstrare posint. 4. quia Gentili-  
 es fine vero Deo fuisse & Deum ignorasse dicuntur, Eph.  
 2,12. Gal.4,8.1. Theſſ 4,5. Vestigia quædam Trinitatis in Na-  
 tura deprehendi obſervarunt nonnulli Docti Viri; &  
 quidem *In homine, Intellectum, in Mente hominis, Patrem*  
*æternum gignentem Filium; Cognitionem, Dei Filium,*  
*qui æterni Patris ἀόγος f. Sapientia vocatur; & Volun-*  
*tatem Amorem ex se parientem, Spiritum S. repræſen-*  
*tare autumant.* *In Animalibus*, pergunt, Unumquod-  
 que ſibi ſimile gignit, unde *Genitor & Genitus, h. e. Pater*  
*& Filius:* Ex mutua autem Cognitione *Mutus Amor*,  
 quo ſibi adhærent; qui respondet Spiritui S. *In Sole*, cui  
 Deus confertur PI.84,12. *Sol* gignit ex ſe *Radios*, atque  
 ex *Sole & Radiis* proficiſcitur *Lumen f. Calor*: Ita volunt  
 Patrem eſſe Fontem Filii & ab utroque procedere Spiritu-  
 m S. Et ſicut Radius à Sole & ab utroque Calor non  
 ſeparatur: Ita neque Filium & Spiritum S. à Patre ſe-  
 parari vel dividi: Interim Corpus ſolare f. Globum So-  
 lis non eſſe Radium, neque Radium Globum, ac neu-  
 trum horum Calorem; Hæc tria tamen non eſſe tres  
 ſóles, ſed unum Solem: Ita unum eſſe Deum, etiam si  
 tres perſonæ in una Divina Effentia ſubſtant Substan-  
 tialibus ſuis Proprietatibus. *In Aqua, Fontem f. Scatu-*  
*riginem latere ſubterra, ex quo Latex, atque ex hoc Flu-*  
*vius oriatur, qui ſe longè latèque expandat.* In quo  
 Exem-

Exemplō sicut & unam eandemque Aquam, & triā  
distinctā, sed inseparabilia tamen, Scaturiginem, Laticem,  
& Fluvium urgent & Mysterio nostro applicant. In  
Herbis prædicant tria; Radicem, Caulem & inde exfusgen-  
tem Plantam; quæ tamen innato *Humore* vivant & coa-  
lescant. Quæ huc itidem speciosè, ut putant, ut & exem-  
pla *Ignis* & *Iridis* trahunt. Vide Mornæum de Verit.  
Relig. Christ. C. 5 p m. 63, 64. Verūm quis non videt  
hæc esse tantum Similia, non exigua disimilitudine la-  
borantia? Quæ, si quid præstant, rem aliquo modo  
quidem, suppositâ Revelatione, illustrant, sepositâ ve-  
rò revelatione animum non convincunt nec rem so-  
lide probant; ac proinde fidelibus quidem, sobrie &  
caute tamen, ad eos in veritate & Credibilitate hu-  
jus Mysterii confirmandos, non tamen adversariis, ad  
eos in Veritate convincingendos, proponi possunt. Neque  
ex Philosophia Chaldaica, Ægyptiaca, Pythagoræ vel Platonica  
S. Trinitatis Doctrina probari potest: Nam quæ à Zo-  
roastrō, Mercurio Trismegisto, Pythagora, Platone &  
Platonicis, aliisque, dicta, leguntur ap. Mornæum de  
Verit. Rel. Christ. p m. 66. ad 72 adeò obscura & ambi-  
guæ sunt, ut in sensu diversos trahi queant, & potius  
de alia Productione intelligenda videantur, quam de  
Filii à Patre generatione & Spiritus S. ab utroque Pro-  
cessione, vel si quid veri haberent, ab Hebræis hausta  
dicenda essent; ut raseamus, nonnullos putare, Zo-  
roastron Chamum, Mercurium Trismegistum ipsum  
Mosen fuisse. Neque ex Kabbala Judaica Trinitatis  
dogma demonstrari potest. Quod notandum est con-  
tra Pet. Galatinum, Raymundum Martini, Steph. Rit-  
tangel, Joseph. de Voysin, &c. qui volunt, Mysterium  
hoc ex Kabbala Judaica probari posse. Petrus Galati-

nus quidem in Libro de Arcanis Cathol. Veritatis lib. 2 c. II. 12. ex Libro גָּלִיל רְזֵוָא Kabbalisticam, per duodecim & 42 literas, nominis Tetragrammati Expositio-  
nem, explicitam personarum Trinitatis mentionem con-  
tinente, adfert; quarum *prior*, quæ duodecim vo-  
ces continet, hæc est: אֱבָן רֹוח קְרֻשׁ *Pater, Filius,*  
*& Spiritus Sanctus.* *Posterior*, quadraginta duarum litera-  
rum, ita se habet: אֱבָן אֶל וּרוּחַ הַקְרֻשׁ אֶל אֶבָּל לְאָן i.e. *Pater Deus, Filius*  
*Deus, ac Spiritus S. Deus; non tamen (sunt) tres Dii, sed*  
*unus Deus.* Quod Nomen quadraginta duarum litera-  
rum alii sic efferunt: אֱבָן אֶלְוִוְסְכָן אֶלְהִים רֹוח הַקְרֻשׁ : אֶלְדִּים שְׁלָשָׁה בְּאֶחָד בְּשְׁלָשָׁה :  
i.e. *Pater Deus, Filius, Deus, Spiritus Sanctus Deus, tres in Uno, unus in tribus.*  
Quod Argumentum Kabbalisticum ex Galatino etiam  
urget Mornæus de Verit. Relig. Christ. c. 5. p. m. 75.  
Verum quanti hoc Argumentum faciendum sit, indi-  
cant Viri Rerum Judaicarum peritisissimi, Job. Bux-  
torff. in Lexico Hebr. Rad. רוח inquiens: *Magnum ope-*  
*ra pretium esset, hanc expositionem posse ex Rabbinorum libris*  
*firmari!* R. Bechai in principio Geneseos, fol. 5. col. 2.  
scribit; Nomen quadraginta duarum literarum desu-  
mi ex primo & secundo versu principii Geneseos, à li-  
tera ב vocis usque ad ב vocis ב רְזֵוָה usque ad ב vocis que sunt 42  
literæ, ex quarum varia & multiplice combinatione, Ca-  
balistis nota, fit nomen expositum per 42 literas; No-  
men autem duodecim literarum, fit ex triplicata com-  
binatione Nominis. Job. Leusden Philol. Hebr.  
Dissert. 27. p. m. 290. non solum dubitat, an liber גָּלִיל רְזֵוָה  
*Revelator Arcanorum*, ad quem provocat Galatinus,  
unquam in Rerum natura fuerit; sed verbis Hebraicis  
supra allatis hoc judicium quoque subjicit; *Si hec nomi-*  
*natio ita*

na ita in ipsis Scriptis Rabbinorum exposita invenire possemus,  
multum ad Religionem nostram ex ipsis Iudeis confirmandam  
efficerent. Urget Voysin Kabbalistarum ספירות atque  
ex illis Trinitatem elicere vult. Verum 1. secundum  
ipsos Judaeos, ex Mysticis ac Symbolicis Kabbalistarum  
sensibus nullum firmum & apodicticum Argumentum  
desumi potest. אין מшибין על הדרש אין מקשין בגדrho  
Non innituntur mystico sensui, neque argumentantur ex Allego-  
gorico discursu. Quibus congruit sententia R. Scherira  
מדרשota אמרנה הן משכנת אולותה Symbolica s. Mystica Ex-  
plicationes sunt conjecturales. 2. Per משכנת אולותה Proces-  
sionem Emanationum Kabbalistae non intelligunt Proces-  
sionem Personarum divinarum, sed Procesionem Pro-  
prietatum ac Virtutum à Deo emanantium, adeoque  
Attributa Divina. 3. quod vel inde patet, quod non du-  
as vel tres tantum אולות emanationes; vel ספירות Nu-  
merationes; (quot tamen tantum admittendae essent, si  
per illas Sephiroth tres Personæ divinæ vel duas à Pa-  
tre prodeentes, Personæ intelligerentur) sed decem  
numerent, videlicet: 1. Kether, Coronam, cui superimponunt  
En soph Infinitatem 2. Binah, Intelligentiam; 3. Choch-  
mah Sapientiam; 4. Gebburah Potentiam 5. Gedolah,  
Magnificentiam s. Bonitatem; 6. Tiphereth, Gloriam 7. Hod  
Majestatem 8. Nezach, Victoria; 9. Jefod Fundamentum,  
10. Malcuth Regnum s. Schekinah Inhabitationem. Inde  
4. Iudei & rerum Judaicarum periti per Sephiroth Atri-  
buta Divina pasim intelligunt. Vid. R. Mosen in Com-  
mentar. ad Cap. 1. Jezirah. Menassen Ben Israel lib. de  
Creat. Probl. 27. p. 105, 106. Cæfaris Evoli Neapolitani  
librum de Divinis Attributis, quæ Hebræi Sephiroth  
vocant. Joh. Buxtorff. Lex. Thalmud. in Radice סְפִירָה  
Joh. Henr. Hottinger. Thesaur. Philol. lib. 1. c. 3. p. m.

451. 452. &c. 5 Kabbalam Judaicam non continere My-  
sterium Trinitatis inde quoque constat, quia Judæi sunt  
jurati hujus dogmatis hostes Vid. Buxtorff. Synagog.  
Jud. Cap. 3 p.m. 24. 25. 26. Tandem, volunt nonnulli,  
Doctrinam Trinitatis ex *Carminibus Sibyllinis* probari  
posse, in quorum numero est ipse Lactant. c. 6. de falso  
Sap. & Bellarm. lib. i. de Christo Cap. II. p.m. 296. Verum  
& hoc non immerito à Theologis nostris negatur. 1. quia  
verisimile non est, Deum mulieribus Ethnicis tanta My-  
steria revelasse. 2. & quidem ita, ut multa clarius præ-  
dixerint, quam ulli Prophetarum, ut loquitur Bellarm.  
c. I. Inde 3. à multis adulterina & supposititia habentur,  
quæ de Christo, & Religionis nostræ Mysteriis in Ver-  
ibus Sibyllinis venditanur; vel 4. si quid veri his sub-  
esset, id ex lectione Bibliorum & conversatione cum  
fidelibus haustum esset. Vide inter alios Il. Cesaub. Exerc.  
I. cont. Baron. p. m. 53. 54. Christ. Beccani Exercit. The-  
ol. 14. p. 219. 220. seq. Quibus adjicimus Joh. Henr. Hot-  
tingeri de Carminibus Sibyllinis & Kabbala Judaica,  
quoad hanc Materiam, judicium, ex Thesauro Philol.  
lib. I. c. 3. Sect. 5. p. m. 440. Quo clarius dubii ejusmodi  
libri de Trinitate, Incarnatione Christi, Unione hypostatica &c.  
loquuntur, eò se manifestius r̄ns vōdeias convincunt. Nihil  
est, quod Eruditissimorum Carmina & quæ in suspicionem ad-  
ducat, atque insolens illa & ne quidem Prophetis usitata de ab-  
strusissimis Christianismi Mysteriis differendi facilitas & per-  
spicuitas. Quasi verò Gentibus Deus in Vet. Test. Mysteria  
sua clarius apernuisset, quam ipsis Judeis! Ita quo sunt Veterum  
Judeorum de Novi Test. Oeconomia adseriones simpliciores & apertiores, eò major de auctoritate eorum ambigendi  
erit suspicio.

## §. VII.

Ex sola igitur Revelatione, Scriptura comprehensâ, Mysterium SS. Trinitatis recte & ad salutem cognosci potest ac debet. Nam *nemo scit, que in Deo sunt, nisi Spiritus Dei*, I. Cor. 2, 11. Quare Christus Matth. 11, 27. docet *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. & Joh. 1, 18. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Dubium tamen motum fuit de Scriptis Veteris Test. An in illis quoque Trinitatis doctrina revealetur, atque ex illis cognosci posset? Cujus Quæstionis Negativam defendunt I. Sociniani; quorum Antesignanus, Socinus, in Animadvers. 3. in Assert. Posnaniens. p. m. 38. scribit: *Imò iste Deus trinus nulli Antiquorum (Patriarcharum) qui verum Deum coluerint; nulli item eorum, qui verum Deum per Christum agnoverint aut agnituri sint, cognitus vel fuit vel futurus est unquam. Itaque non qui illum respununt, sed qui amplectuntur, ii non recentem modò, sed plane imaginarium Deum habent*. Et in Defens. Animadvers. adversus Gab. Eutropium Cap. 7. p. m. 216. Socino suffragatur Val. Smalcius in Præfat. ad Refutat. Thes. Frantzii: *Quis ex Veteri Testamento homini sensato Dogma Trinitatis, qualcm credit Frantzius, quis Filii praeternitatem, ut sic loquar, quis Satisfactionis & Meriti Christi commentum, & his similia ostendat?* Certe Judei antiquitus, omnibus ipsis Scripturis fidem adhibebant: & tamen ista portenta, prorsus ignorabant. *Quid quod non pauci Viri docti iisque insignes Theologi, senserunt, dogma Trinitatis & alia in Veteri Testamento nullo modo fuisse revelata, sed reservata ad Tempora Novi Federis?* Joh. Volkelius de Vera Relig. lib. 5. c. 9. p. m. 405. 406. seqq. omnia Vet. Test. loca pro Trinitate afferri solita elidere conatur. II. Mennonitæ,

afferentes, unicam tantum personam Patris intellectam & agnitam fuisse in V. T. nomine unitus Veri Dei Israe lis, Trinitatis mysterium minime revelatum, sed velatum fuisse Patribus; Deum sese sub antiquo Fædere revelans in genere ut Deum unicum &c. vide Confessionem eorum Faulklio oppositam à pag. 43. ad 48. III. Remonstrantes; quorum mentem declarat Liberius de Sancto Amore Epist. Theol. 7. p. 185. Ex neglectu ordinis Revelationum factum est, ut multi crederent S. Trinitatem, ut eam explicant, notam fuisse Veteris Testamento Patribus; quamvis Doctissimi Christianorum hodie videntium, eam, non in Veteri dicam Testamento, sed ne in Nono quidem videre possint. Lege Locum de Trinitate & videbis inter loca, quibus probari solet, varia adferri è Vet. Testam. que ita urgentur ab eximis illis, si Deo placet, Scriptura interpretibus, ut contendant, cæcos esse oportere, qui Trinitatem in iis non vident. At se illi sigillatim de Revelationibus Vet. & Novi Testamenti agerent, in ejusmodi errorem non caderent. Loca Vet. Test. in se, non vero relate ad Nodum spectarent, atque ex eorum sola consideratione docerent, quid Hebrei Veteres crediderint, non quid Christiani, credere possint. Qua de causa nec Episcopius, nec Curcellæus Relig. Christ. Instit. lib. 2. c. 19. nec Phil. à Limborch Theol. Christ. Lib. 2. c. 17. Veteris Test. dicta pro afferendo hoc dogmate adducunt. IV. Romano-Catholici: è quorum numero Bellarminus Lib. 2. de Christo cap. 6. producunt duobus (quarto & quinto) è Veteri Testamento pro hoc dogmate, argumentis hæc subjicit p. m. 329. Notandum cum Theodoreto lib. 2. ad Grecos, Deum in Veteri Testamento noluisse proponere mysterium Trinitatis expresse, quia Judæi incapaces erant, & quia recens exierant de Agypto, ubi colebantur multi Dii, & intraturi erant in terram Canaan.

Canaan, ubi etiam multi habebantur Dii; ne videlicet parent, sibi etiam tres Deos proponi colendos; voluisse tamen Deum adumbrare hoc mysterium, idque multis modis, ut cum in Testamento Novo pradicaretur, non videretur omnino novum, vel repugnans Testamento Veteri. & Alph. Salmero Proleg. in Evang. XI. quæst. 3. Can. 25. SS. Triadis mysterium nulli unquam menti quantumcunque excellenti, & de divinis altissima speculanti pervium fuit aut esse potuit; sed in solo Evangelio ejus patefactio & predicatio mysterii servata fuit. Post pauca addit: quod in Vet. Test. Articulus de Mysterio Trinitatis nondum credendus proponeretur, quia ejus populus nondum poterat esse capax. In Lege zamen Dei unitas contra idololatras inculcabatur, unde illud in principio legislationis: Deut. VI. Audi Israel Dominus Deus noster, Deus unus est. it: Lucas Brug. in Joh. I. v. 49. Galatinus de Arcan. Cath. Verit. cap. I. Quā in re tamen provocant ad consensum Patrum, Tertulliani adversus Prax. Cypriani Ser. 6. Chrysoft. Oper. Imp. in Hom. 45. Hieron. adv. Lucifer. Thedoret. Lib. 2. ad Græcos. Nec tamen Pontificii Doctores simpliciter negant Trinitatem in Vet. Test. revelatam fuisse; sed hoc volunt; Fidem Trinitatis Specialem, distinctam & explicitam solis Majoribus, i. e. Doctoribus, ad Salutem necessariam fuisse, necessitate præcepti; Minoribus autem i. e. Subditis indoctis non item; sed Fidem horum in Fide illorum implicite contentam & occultatam fuisse. Ita ipse Thom. Secund. 2d. quæst. 2. Art. 8. ad. 2. Ante Christi adventum Fides Trinitatis erat occultata in Fide Majorum. Gregor. de Valent. P. 3. disp. 1. q. 2. punct. 5. p. 392. explicitè credere Trinitatem est necessarium necessitate præcepti ante tempus Gratiae ut Majores tantum illud debuerint explicitè credere. Tanner. Tom. 3. Disp. 1. q. 7. dub. 2. Assert. 4. n. 60.

*Lege Natura post lapsum, & in statu legis Mosäica necessitate precepti majores quidem explicite credere tenebantur SS. Trinitatem & Incarnationis Christi mysterium, etiam quatenus per mortem & resurrectionem suam redempturus erat Genus humanum; minores autem non item. Interim tamen fatendum est, si quis ex minoribus hanc veritatem fidei sufficienter edocitus fuisset, ab eo tum quidem eam veritatem negari nullo modo potuisse, sed ei quoad Specificationem actus credendum fuisse. At non ideo tamen Minores per se hujus Fidei precepto tenebantur, ita ut in ejusmodi veritatem inquirere eamque ex instituto addiscere debuerint. Nos statuimus SS. Trinitatem in Vet. Test quoque non quidem tam clarè, quam in Novo Test. Sed longè obscurius, prout Oeconomiae illius ratio & Ecclesiæ adhuc infantis Status & Conditio exigebat; Sufficienter tamen, pro ratione illius Oeconomiae & Status, in gratiam non solum Majorum i. e. ejus Ecclesiæ Doctorum, sed & Minorum i. e. fidelium etiam Indoctorum; In Novo verò Test. clarissime, revelatam esse.*

## §. VIII.

Pro afferenda ergo hac Veritate afferemus I. ea Veteris Test. loca, quæ Indefinitè Pluralitatem aliquam inferunt; qualia sunt, i. Gen. I. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & Similitudinem nostram.* ubi Deus non alloquitur Angelos, nam ad illorum imaginem homo conditus non est. Gen. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Ubi observandum, quod Onkelos quidem *בָּנֵינוּ Ex nobis*, reddiderit *Ex eos* vel à scipso. Verum præter Judæos Versionem nostram usitaram probant, Septuaginta interpretes, Vulgatus, Tremellius, Lutherus, Piscator, Angli, Galli, &c. A quorum communi consensu temerè recedendum non est. Gen. XI, 7. *Venite*

nite descendamus, & confundamus linguam eorum. Es. 6, 8.  
 Quem mittam & quis ibit Nobis? Ad quæ loca excipienti;  
 Deum numero plurali honoris causa, more Regum  
 & Principum ita loqui; Respondemus. 1 Reges & Prin-  
 cipes dudum ita loqui, non ex ambitione, sed potius  
 modestiâ, ut se non tantum suo sed & Optimatum nomi-  
 ne mandare & agere testentur. 2. In ipsa Scriptura etiam  
 Gen 29,57. Job.18,23. Dan 2,7,8 Cant.1,3. Laban, Bildad, Da-  
 niel, Ecclesia de se & Amicis; Joh 3,11. Christus de se. Joh Bap-  
 tista & Discipulis, ita locuti sunt. 3. Probandū autem esset,  
 Reges, quorum *in Scriptura* mentio fit, Pharaonē, Saulem,  
 Davidem, Salomonem, Nebucadnezarem &c. ita locutos  
 esse. & 4. Deum de se & quidem semper ita loqui. *Quod fal-*  
*suum esse omnes agnoscent.* Neque Deus, saltem Gen.1,26.  
 Angelos allocutus est, quia Angelos in societatem Creati-  
 onis non assunxit. Pluralitatem Indeterminate quo-  
 que innuunt 2. loca, in quibus Deus à Deo distingvitur,  
 non sane essentialiter, sed personaliter, qualia sunt Gen.  
 19, 24. *Punit Dominus Sulphur & ignem a Domino.* Ps. 110, 1.  
*Dixit Dominus Domino meo.* Hof. 1, 7. *dicit Dominus: Sal-*  
*vabo eos in Domino Deo suo.* Dan 9, 17. *Exaudi Deus noster*  
*Orationem servi tui & preces ejus &c. propter Dominum.* Eò  
 spectant 3. Testimonia, quibus Deo Filius tribuitur. Ps.  
 2, 7. *Filius mens es tu, ego hodie genui te. coll. cum Heb.*  
 1, 7. Zach. 3, 9, 10. *Adducam servum meum Zemach (Ger-*  
*men) quia ecce lapis, quem dedi coram Iosue, super lapidem*  
*unum septem oculi sunt.* Prov. 8, 22, 23, 24. Sapiencia dicitur  
 principium viae Dei, unita à Sacculo, genita, antequam  
 terra fieret. Prov. 30, 4. *Quod nomen est ejus & quod nomen*  
*Filius, si nosti?* Huc item referuntur 4. loca, mysterio  
 non parentia, in quibus Deus emphaticè Numero plu-  
 rali vocatur, Creatores, Factores nostri, h.e. Creator  
 noster, ut Ps. 149, 2. *Lateretur Israel in Factoribus suis i.e. Con-*  
 ditore

ditore suo. Eccles. 12, 1. *Memento Creatorum tuorum.* Job. 35. 10. *Ubi est Deus, factores mei dans Cantica?* Es. 54, 5. *Dominatores tui, factores tui, Dominus ZebaOTH nomen ejus.* Jos. 24, 19. *Jehova Elohim sancti est.* 2. Sam. 7, 23. *Iverunt Elohim.* Præter Lombardum, Abælardum, & Lutheranos, ex Reformatis Bullingerus, Polanus, Junius, Piscator, Capellus, Jac. Altingius, aliiq; ex nomine אלֹהִים constructo cum Verbo singularis Numeri, v. gr. Gen. 1, 1. אלֹהִים בָּרָא. Elohim creavit; pluralitatem Personarum in Dei Essentia probare sat agunt: Quorum pius Studium ad fideles in veritate confirmandos nos quidem non improbamus. Attamen cum plerisq; Reformatis, nominatim Calvino, Mercero, Pareo, Gomaro, Buxtorffio, Drusio, Riveto, C. Schotano, Wendelino, Burmanno, Turretino, Leusdeno, aliisque, & ex Pontificiis, Cajetano, Bellarmino l. 2. de Christo c. 6. p. m. 326. 327. Petavio Theol. Dogm. Tom. 2. c. 7. §. 3 p. m. 138. 139. censemus, pluralitatem personarum in Essentia divina, ex hoc Nominis contra infideles & alios Antitrinitarios sufficienter & solide probari non posse. 1. Quia nomen Elohim de Personis & rebus singularibus in S. Scriptura dicitur, e. gr. Jud. 13, 12. de uno Angelo, qui Manœ appetit; *Moriemur quia vidimus Elohim.* i.e. Angelum. De uno Mose, Exod. 4, 16. Ubi Moses Pharaoni constituitur in Elohim, i. e. Deum. & c. 7. 1. de unico Vitulo, Exod. 32, 31. Neh. 9, 18. de Dagone unico, Jud 16, 17. de Astaroth, Deo Sydoniorum; Chamosch, Deo Moabitarum; Milcom, Deo Ammonitarum. 1. Reg. 11. 33. in quibus omnibus tamen, nullam pluralitatem, nedum Trinitatem significare potest. 2. Quia de vero Deo adhibitus non semper Deum essentialiter, sed personaliter consideratum significat; ut Ps 45, 8. *Unxit Te Elohim Elohe-*

*Elohecha*, i. e. Deus tuus, supra confortes tuos. ib. v. 7.  
*Thronus tuus, Elohim, Deus, in Seculum seu Sempiter-*  
*num.* Hos. 1. 7. *Servabo eos in Domino, Elohehem,*  
*Deo ipsorum & Gen. 1. 2. Spiritus Elohim, Dei, incu-*  
*buit aquarum Superficiei. In quibus fane locis nec*  
*Trinitatem nec Pluralitatem indicare potest.* 3. Quia &  
*alia nomina pluralia dominium significantia, qualia*  
*sunt Adonim, Bahalim, saepenumero per numerum*  
*singularem exponuntur, ut. Gen. 24, 9. Sub femore A-*  
*brahami Dominorum suorum i. e. heri sui. Gen. 42, 30. Jo-*  
*sephus appellatur, Vir ille Domini (pluraliter) terre.*  
*Gen. 40, 1. Pincerna & Pistor peccaverunt Dominis suis, Re-*  
*gi. h. e. Domino suo. Ex. 21. 29. Quid si bos cornupeta fu-*  
*erit ab heri & nudius tertius & indicatum fuerit Domino*  
*eius (Hebr. בָּעֵל יְהוָה Dominus eius) nec recluserit eum, oc-*  
*cideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obructur &*  
*Dominus eius (Hebr. בָּעֵל יְהוָה Domini eius plur.)*  
*morte afficietur. Exod. 22. 11. dicitur Bealav de u-*  
*no domino. it. Eſ. 1. 3. Quapropter Buxtorfius Thes.*  
*Gramm. l. 2. c. 2. p. 341. de Nominibus, Dominium sig-*  
*nificantibus, hanc Regulam format: Nomina Domini, A-*  
*don, Elohim, Baal, ex lingue usu & proprietate efferuntur Nu-*  
*mero plurali cum antecedente singulari, ad summam dignita-*  
*tem & honorem excellentissimum Personae indicandum, ut He-*  
*braorum interpretes tradunt.* 4. Quia Nomen Elohim, e-  
*tiam de Idolis usurpatum, construitur cum Verbo singu-*  
*lari; Jud. 16. 23. ubi Philistaeorum Principes de Da-*  
*gone dicunt: Tradidit Dées nōſter (Hebr. אֱלֹהֵינוּ)*  
*inimicum nostrum Samsonem in manus noſtras. Eodem mo-*  
*dō & Nomen Adonim cum Verbo singulari construi-*  
*tur, Exod. 21, 4. Si Dominus eius (Hebr. Domini) dederit*  
*ei in uxorem. Gen. 42, 30. de Josepho solo dicitur: Domi-*  
*niter-*

*ni terra loquens, pro Dominus. 2. Sain. 2, 7. de solo Saule:  
Mortuus est Domini vestri Saul, pro Dominus vester. Malach. 1, 6. Domini ego, pro Dominus ego. Sic & Baalim  
construitur, Exod. 21, 9. etiam Dominus ejus morte afficiatur. Hebr. Domini. Ex quibus exemplis Buxtorff.  
Thesaur. Gramm. L. 2. c. 10. p. 433. ejusmodi regulam  
format: Enallage numeri est, quando nomina dominii plura-  
lia junguntur verbo singulari, ad summam Majestatem expri-  
mendam, sive, ut Hebrei loquantur, ad indicandum  
רַבּוֹ הַכְּחָזִים pluralitatem virtutum, & potentiarum in persona dominante.*

(5) Si ergo Nomen plurale Elohim pluralitatem personarum infert, idem facient Nomina Adonim & Baalim: Atqui haec nomina non urgent Affirmantes; Non magis ergo & illud urgeri debet; nulla enim ratio disparitatis afferri potest. (6) Quia veritas & bona causa, infirmis argumentis defensa, Antitrinitariis suspecta redditur, quippe qui, ex unius argumenti imbecillitate, de reliquis judicant, ac praejudicium tum contra veritatem, tum contra argumenta, quibus propugnatur, concipiunt. Argumenta igitur hic non tam numeranda quam ponderanda sunt; quod prudenter monuerunt Theologi his effatis: τὸ αὐτὸν τὸν ἀποδεικεῖν εἰλάταις ἀλαζούσας. Thomas Aq. Summae P. 1. q. 32. artic. 1. Cum quis ad probandam fidem Christianam inducit rationes non cogentes, cadit in irruptionem infidelium. Nam credunt, quod hujusmodi rationibus innitamus, & propter eas credamus. Lutherus. Tom. 2. Jen. Germ. fol. 475. fac. 2. Wenn man also mit ungewissen Gründen/ und Feil-Sprüchen den Glauben schützt / ist's nicht eine Schmach und Spott der Christen bei den Wiederfechtern / die der Sprachenkundig sind? Und werden nur haleßtarriger im Irrthumb und halten unsern Glauben mit gutem Schein

Schein für einen Menschen Traum. Similia habet  
 Tom. 6. Witt. Lat. in cap. 18. Gen. fol. 233. fac. 2. Tom.  
 10 Witt. Germ. fol. 395. fac. 2. Joh. Calvinus: *Monendi sunt  
 Christiani Lectores, ut fibi a violentis hujusmodi glossis caveant.*  
 Mercerus: *Imbecillibus, adversus Iudeos, nos non debere  
 pugnare argumentis, ne nos illis ridiculos prebeamus, lingua eo-  
 rum imperitam.* Et Chemnitius monet: *Non tam nume-  
 randa, quam ponderanda esse testimonia, neque quarri debere,  
 quam magnus sit numerus sententiarum, quomodo cuncte con-  
 sarcinatarum, sed quam apposite & perspicue hunc articulum  
 Trinitatis doceant & confirment.* II. Probatur haec Ve-  
 ritas i. locis illis (Orthodoxis confirmandis idoneis) qui-  
 bus Dei vel Domini Nomen ter repetitur; Exod. 3, 6.  
*Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob. &c. 15.*  
*Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob misit me ad vos.*  
 Num. 6, 24. *Benedicat tibi Dominus & custodiat te! Osten-  
 dat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui!* Convertat  
*Dominus vultum suum ad te & det tibi pacem.* Ps. 67, 6. 7. 8.  
*Confiteantur tibi populi Deus, Benedicat nos Deus, Deus no-  
 ster, benedicat nos Deus & metuant eum omnes fines terra.*  
 Esai. 6, 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehovah Deus exercitu-  
 um.* c. 33. 22. *Dominus judex noster, Dominus legifer noster,  
 Dominus Rex noster: ipse Salvabit nos.* Conf. Jof. 22, 22.  
 Dan. 9, 19. Zach. 1, 3. 2. Locus clarioribus, quibus Trium  
 determinata ac distinctior mentio fit. Genes. I. vers. 1. seq.  
 distincta mentio fit *Dei* omnia creantis, *Verbi* omnia pro-  
 ducentis & *Spiritus* aquis incubantis. Ubi Verbum non  
 esse nudum Dei mandatum, adeoque *λόγον προφητικόν*  
 s. externum, prolatitium; neque internum s. mentale,  
 evincit collatio hujus textus cum Joh. c. 1, 2. seq. Quo  
 faciunt & verba Davidis Ps. 33, 6. *Verbo Domini celi facti  
 sunt & spiritu oris ejus omnes exercitus eorum.* Ubi distincte

nominatur Jehovah, Verbum, & Spiritus. 2. Sam. 23, 1. 2.  
 seqq. novissima Davidis verba haec sunt: *Dixit Vir, cui  
 constitutum est de Christo Dei Jacob: Spiritus Domini locutus  
 est per me & sermo ejus per linguam meam.* *Dixit Deus Is-  
 rael mihi, locutus est fortis Israel, Dominator hominum, iustus  
 Dominator in timore Dei.* Quibus verbis David Deum Is-  
 raelis & Messiam s. Unctum ejus, & Spiritum Sanctum  
 quo actus ipse locutus fit, prædicat, Es. 48, 16. *Dom-  
 nus misit me & Spiritus ejus, ubi distincta mentio fit mit-  
 tentis Domini, misi & Spiritus Dei.* Es. 63, 9. 10. II. 14. *In  
 omni tribulatione eorum, non afficit eos angustia, & An-  
 gelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua & in indulgentia  
 sua ipse redemit eos, & portavit eos & elevavit eos cunctis die-  
 bus seculi; Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & affli-  
 xerunt Spiritum sanctum ejus; ubi diserte recensetur Je-  
 hovah, Angelus faciei & Spiritus sanctus. Esa. 11, 2. *Re-  
 quiescat super eum Spiritus Domini.* it. Es. 67, 1. *Spiritus  
 Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntian-  
 dum &c.* ubi memoratur Dominus, Spiritus ejus & Mes-  
 sias Hag. 2, 5. 6. *Ego vobis sum, dicit Dominus exerci-  
 tum; Verbum quod pepigi vobis sum, cum egrederemini, de  
 Terra Aegypti; & Spiritus meus erit in medio vestrum.* Ubi  
 Dei, Verbi & Spiritus mentione ostenditur, Trinitatis  
 doctrinam in V. T. non prorsus ignotam fuisse.*

## §. IX.

Longe clarius tamen Mysterium hoc in Novo  
 Test. patefactum est. Et quidem I. In Baptismo  
 Christi Matth. 3, 16. 17. Ubi Deus Pater celitus emissa  
 voce Filium suum in Jordane, baptizatum, Muneri Me-  
 diatorio solennibus his verbis inaugurat: *Hic est Filius  
 meus dilectus, in quo mihi complacui!* Spiritus Sanctus vero  
 apertis celis, sicut columba descendit super Christum.  
 Hinc

Hinc Veteres allocuti sunt Arianos: *Abi Ariane ad for-  
danem & videbis Trinitatem.* II. In Baptismo nostro  
Matth. 28, 19. quem sacrum ritum Christus solennissi-  
me ita instituit & consecravit: *Euntes docete omnes gen-  
tes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii & Spiritus San-  
cti.* Ubi hoc fideliter recolendum: In cuius nomine  
Baptismus, s. solennis Christianorum Initiationis Ritus  
& Sacramentum Regenerationis, est administrandus,  
ille est Verus Deus: A. In Nomine Patris, Filii, & Spi-  
ritus S.E. Item in cuius Nomen i.e. Agnitionem, Con-  
fessionem, Fidem, Cultum & Obsequium solenniter ini-  
tiatur, & obstringimur, is est verus Deus: A. In No-  
men, h. e. Agnitionem, Confessionem, Fidem, Cultum  
& Obsequium Patris, Filii, & Spiritus S. solenniter initia-  
tur & obstringimur. E.III. Joh. 14, 16.. *Ego rogabo Patrem, &  
alium Paracletum dabit vobis.* IV. Joh. 15, 26. *Cum venerit Para-  
cletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui à  
Patre procedit, ille Testimonium perhibebit de me?* V. 1.Cor. 12.  
3. *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit Anathema Iesu.* Et ne-  
mo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. VI.  
2.Cor. 13, 13. *Gratia Domini nostri, Iesu Christi, & Charitas  
Dei & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.* VII.  
Gal. 4, 6. *Quoniam etsi filii, misit Deus Spiritum filii sui  
in corda vestra, clamantem:* *Abba, Pater.* VIII. Eph. 2, 18. *Per  
Christum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem.* IX. Eph.  
3, 14, 16. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi,*  
ut det vobis potentia corroborari per Spiritum suum in inter-  
iore hominem. X. Tit. 3, 5, 6. *Salvos nos fecit Deus per la-  
vacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem  
effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum.*  
XI. 1.Petr. 1, 2. *Electis advenis secundum praescientiam Dei Pa-  
tris, in Sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspercio-*

(44.)

uem Sangvinis Iesu Christi. XII. l. Joh 5.7. Tres sunt, qui Testimonium dant in celo: Pater, Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Ubi non tantum Numerus, ut loquuntur, Numeratus, sed & Numerans habetur. Evidem hic locus in nonnullis Græcis vetustissimis Exemplaribus lectus non fuit; illo quoque quod S. Thecle, Fœminæ Nobilis Ægyptiæ, Martyris, manu ante Concilium Nicænum, adeoque ante annos 1400 exaratum putatur, & Ser. Regi Angliae Carolo I. à Cyrillo Patr. Constantiop. dono missum est, hodieque in Bibliotheca Regia Londini servatur; item in Syriaca, Arabica, Æthiopica; & prioribus B. Lutheri, Versionibus desideratus, atque in aliis Exemplaribus paulum immutatus lectus fuit; unde non solum Blandrata Disp. Albana Actorum diei 2. E. l. Franc. Davidis cont. Georg. Maj. N. 2. Socinus in Comm. in l. Joh. 5. p. 416. & in Animadvers. in Assertionem Posnan. 17. p. 69. Enjedin in Explic. Loc. Script. fol. 425. Schmalz. Contra Schopper. de Trin. p. 16. Volkel. de Ver. Relig. libr. 5. c. 9. p. 41. Christoph. Sandius Interpret. Parad. Append. p. 376. seqq. aliquique Antitrinitarii illum adulterinum declarant; Sed & Steph. Curcellæus Dissert. de Vocibus Trinit. §. 44. p. m. 833. & Phil. à Limborch. Theol. Christ. lib. 2. c. 17. §. 1. p. m. 95. eum non admittunt; quin Erasmus quoque Annot. in h. l. Lovan. Theol. in eundem loc. & Joh. Bugenhagius Pomer. in Propheta Jona Illustrato. de hoc loco faltem dubitare videntur. Verum Resp. l. Locum istum suppositum tum demum dici posse, si in nullo omnino Exemplari, adeoque nec in Authentico repertus fuisset, quod tamen falsum est, & Erasmus citato loco refert. se Versum hunc in Codice Anglico & Hispanienſi, vidisse & legisse; præter quos etiam in Codice Basileensi repertus est, &

est, & quis dubitet illum in pluribus extitisse? 2. Cyprianus, qui floruit A. Chr 240. sub Decio Imperatore, ac proinde ante Concilium Nicænum vixit, versum hunc citat, lib de Unit. Eccles. p. m. 255. *Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu S. Scriptum est: & hi tres unum sunt.* Et iterum Epistola 73. ad Jubajanum: *Nam si baptizari quis apud haereticos potuit; utique & remissam peccatorum consequi potuit.* Si peccatorum remissam consecutus est, & Sanctificatus est & templum Dei factus est; quero cuius Dei? Si Creatoris; non potuit, qui in eum non credidit; Si Christi; neque hujus fieri potest templum, qui negat Deum Christum: Si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est? 3. Praeter Cyprianum allegat hunc versum Hieronymus & Fulgentius; quorum prior in Epistolas Canonicas præloquens suspicatur, à Latinis Interpretibus, hunc locum depravatum esse, atque à quibusdam Testimonium Patris, Filii & Spiritus S. omnissum esse. 4. Quod ab aliis Patribus, Didymo, Athanasio, Hilario, Cyrillo, Chrysostomo & Augustino in Dispp. contra Arianos in aciem producetus non est, id procul dubio inde factum est, quia tunc temporis in multis ac proinde forsan etiam in illorum Codicibus deerat; vel quia maluerunt ex locis non controversis SS. Trinitatem probare, cum præsentirent, se loco controverso contra hostes obstinatos parum profecturos esse. 5. Contextus hunc Versum non adulterinum sed genuinum esse evincit. Ut enim Johannes v. 7. tres Testes cœlestes: ita v. 8. tres Testes terrestres introducit. Unde v. 9. 10. 11. ratione habita trium testimoniū cœlestium infert: *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est: nam hoc testimonium Dei est, quod testificatus est de Filio suo.* 6. Ex quibus elucet, ver-

sum hunc ex illis Exemplaribus, in quibus deest, erasum  
fuisse. 7. Celebres omnes Editiones, Complutensis, Ant-  
werpiensis, Ariæ Montani, Erasmi, R. Stephani, Waltoni  
aliæque hunc Versum hodie habent. 8. Ipsi quoque Ra-  
covientes Versioni suæ Germanicæ A.C. 1620. eum infe-  
ruerunt. 9. B. Lutherus corrupto Exemplari intran-  
slatione usus est; Quandoquidem autem apparuit, Ver-  
sum hunc in Vetusissimis quibusdam Codicibus habe-  
ri, & à Patribus quibusdam citari, non dubitarunt Do-  
ctores Lutherani eum Versioni Lutheri inferere. Quan-  
tum ad Auctores Expunctionis hujus Versus; multi Or-  
thodoxi putarunt, eam ab Arianis, commissam esse. Ve-  
rum quia i. Arianii non potuissent omnia, etiam Catho-  
licorum v. gr. Athanasii, aliorumque, exemplaria cor-  
rumpere, quorum aliqua tamen etiam corrupta fue-  
runt, quod inde patere diximus, quia hunc locum in  
Dispp. contra Arianos non usurpant. 2. Orthodoxi hoc  
Arianorum Sacrilegium silentio non præteriissent, sed  
toti Orbi Christiano detexissent, bonæ causæ lucro, ma-  
læ verò detrimento; inde probabiliorem censemus illo-  
rum Virorum Doctorum sententiam, qui statuunt, ante  
motas Controversias Arianas, locum hunc ab Anti tri-  
nitariis anterioribus, quales fuere, Artemon, Theodo-  
rus Coriarius, qui sub Imperatoribus, Commodo, Per-  
tinace & Severo vixerunt & Scripturas se corrigeret  
~~etiam~~  
starunt, quod Socrates Hist. Eccles. l. 7. c. 32. p. m. 758.  
confirmare videtur, inquiens, *veteres interpres significasse, quosdam videlicet esse, qui illam Epistolam depravassent, quod in Christo hominem à Deo separarent.*

## S. X.

Evidenter SS. Trinitatem probat Deitas Patris,  
Filiī & Spiritū S. I. Deitas Patris, extra omnem Con-  
trover-

troversiam & Contradictionem posita, ex abundantia,  
tamen, à Nobis paucis probatur I. ex Nominibus Di-  
vinis. Gen. 1, 1. *Principio creavit Deus cælum & terram.*,  
Psal. 33, 6. *Verbo Domini (תֹוּרָה) cæli formati sunt, & Spi-  
ritu oris ejus omnis exercitus illorum.* Deut. 18, 15. *Prophe-  
tam de Gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit ti-  
bi Dominus (תֹוּרָה) DEUS tuus; ipsum audies.* Ps. 45, 8. coll.  
cum Heb. 1, 9. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo latitiae.* 2. Sam. 23, 2.  
*Spiritus Domini (תֹוּרָה) locutus est per me & sermo ejus per  
linguam meam.* Esa. 61, 1. Filius de Patre ait: *Spiritus Do-  
mini (תֹוּרָה אֶחָד) super me, eò quod unxerit Dominus (תֹוּרָה)*  
me. Act. 2, 36. *Deus bunc Jesum, quem vos crucifixistis, Domi-  
num & Christum fecit.* Act. 3, 13. *Deus Abraham, & Deus Iсаac  
& Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum  
Jesum.* Luc. 1, 32. *Filius altissimi vocabitur Joh. 20, 17.* Ascendo ad  
Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.  
2. Cor. 1, 3. 2. Cor. 11, 31. Eph. 1, 3, 17. 1. Pet. 1, 3. *Benedictus Deus &  
Pater Domini nostri Jesu Christi, vocatur.* Illis locis, ubi Deus  
Filium suum mundo dedisse & in mundum misisse dicitur.  
Joh. 3, 16. Rom. 8, 31, 32. Gal. 4, 1. Joh. 4, 9, 10. &c. II. ex Attribu-  
tis divinis Independentia, Infinitate, Aeternitate, Omni-  
præsentia, Immutabilitate, Omniscientia, Omnipotentia  
&c. quæ proprietates divinæ Deo Patri, fatentibus etiam  
Antitrinitariis, competunt. III. Ex Actionibus divinis, ad  
intra, Generatione Filii Ps. 2, 7. coll. cum Hebr. 1, 5.  
Prov. 8, 24. Spiratione Spiritus S. Joh. 15, 26. & Opere ad  
extra interno, Electione nostra Anteseculari Eph. 1, 5.  
item Operibus ad extra externis: Creatione, omnium  
rerum i. Cor. 8, 6. *Unus Deus, Pater, ex quo omnia.* Con-  
servatione & Gubernatione, Joh. 5, 17. *Pater mens usque  
modo operatur.* 4. Ex cultu verè divino, qui Patri, etiam  
citra Controversiam & Contradictionem, tribuendus  
est. In

est. In eum enim credere, sperare, eum timere, amare, invocare & colere jubemur. Omnia hæc Deo Patri omnium Consensu adeò competunt, ut inde non solum Sociniani, sed & Remonstrantes Deo Patri præ Filio & Spir. S. singularem quandam ὑπεροχὴν s. ἐξοχὴν h. e. eminentiam, excellentiam, & prærogativam, etiam ratione ipsius Deitatis, Dignitatis & Potestatis adscribant, Filiumque & Spiritum S. Patri subordinent. Ita Phil. à Limborch Theol. Christ. lib. 2. c. 17. §. 25. 26. p. m. 100. Ex hisce colligimus, essentiam divinam Filio & Spiritui Sancto esse communem, sed & ex hisce non minus constat, inter tres hæc personas subordinationem esse quandam; quatenus Pater naturam divinam à se habet; Filius & Spiritus Sanctus à Patre: qui proinde divinitatis in Filio & Spiritu Sancto fons est & principium. Communis Christianorum consensus, ordinis ratione, prærogativam hanc agnoscit; Patri semper tribuens primum locum, Secundum Filio, tertium Spiritui Sancto. Sed & est quedam supereminentia Patris respectu Filii & Patris, ac Filii respectu Spiritus Sancti, ratione dignitatis & potestatis. Dignius siquidem est, generare quam generari, Spirare, quam Spirari: Mittens etiam in missum potestatem habet, non autem missus in mittentem. Deus autem Pater dicitur passim missus Filius; & Filius omnia qua facit, ad Patrem auctorem refert. Similia habet Episcop. Instit. l. 4, c. 32, 33. & Curcell. Rel. Christ. Instit. l. 2. c. 19 § 9, 10, 11. p. 72. & in Dissert. de Vocibus Trinit. §. 60. p.m. 843, 844. Nos distingvimus inter Filium Dei ἐνταραχον, incarnatum s. oeconomico, & in statu humiliationis, spectatum; Et Filium Dei ἀπαραχον, ante Incarnationem, & Theologicè, consideratum. Priori modo Christus Patre minorescit. Deus Pater enim in opere Redemptionis nostræ, ut Rector ac Judex spectatur, qui jura Majestatis divinæ conservat, tuetur

tuetur & vindicat, coram quo Christum ut Mediato-  
rem, Sponsorem & Advocatum Generis humani com-  
parere & causam hominum agere oportet. Quorū  
referenda sunt sequentia scripturæ dicta. Joh. 14. 28.  
Pater major me ēst. Joh. 5. v. 19. 20. 30. non potest Filius à se  
facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Non  
possum ego à me ipso facere quidquam, sicut audio, judico; &  
iudicium meum justum est; quia non quaero voluntatem meam,  
sed voluntatem ejus, qui misit me. Joh. 6. 38. descendit de Cælo,  
non, ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui  
misit me. Joh. 10. 18. Nemo tollit animam meam à me, sed  
ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam &  
potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum acce-  
pi à Patre. Phil. 2. 8. Humiliavit semet ipsum, factus obediens  
usque ad mortem. Heb. 5. 7. Christus in diebus carnis sue pre-  
ces supplicationesque ad eum, qui posuit illum salvum facere à  
morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est  
pro sua reverentia. 1. Cor. 3. 23. Omnia vestra sunt, vos au-  
tem Christi: Christus autem Dei. 1. Cor. II, 3. Caput Christi  
Deus. conf. Joh. 7. 16. 17. 28. 29. Joh. 10. 25. 37. 38. c. 14. 10.  
c. II. 41. 42. c. 12. 49. 50. c. 14. 10. 24. Matth. 12. 18. c. 20. 23.  
Marc. 13. 32. 1. Cor. 15. 24. &c. Quod vero Christum  
ἀστερον spectat, asserimus, Filium respectu Essentiae &  
Deitatis Patri æqualem esse. Non igitur Pater ὁ πατέρων  
ἡνὶς f. ἐξοχὴ i. e. eminentiam vel excellentiam habet su-  
pra Filium, ratione Essentiae divinæ vel Deitatis & po-  
testatis, quia eminentia ratione ipsius Deitatis tolleret  
Personarum æqualitatem & Confubstantialitatem; con-  
tra Joh. 5. 18. Phil. 2. 6. Joh. 10. 30. 1. Joh. 5. 7. Sed quæ  
hic à Theologis Orthodoxis admittitur ἐξοχὴ f. ὑπερεξοχὴ<sup>1</sup>  
Excellentia f. eminentia; vel potius Prioritas, est tantum  
ratione Modi tum in Subsistendo, tum in Operando: In Sub-  
sistendo,

*sistendo*, quia & *Ordine personali* Matth. 28, 19. 1. Joh. 5, 7.  
 & *Personalis Origine* Ps. 2, 7. Joh. 15, 26. primus est, ac Fili-  
 um & Spiritum S. præcedit, ut pote qui nullum vel Or-  
 dinis vel Originis Principium habet, sed à seipso est,  
 negativè, non positivè; cum reliquæ personæ Origi-  
 nem habeant ab ipso: Filius quidem à Patre solo; Spi-  
 ritus S. verò à Patre & Filio. Unde Veteres *Patrem, Fon-*  
*tem, Originem ac Principium Deitatis* appellant. In *Operando*,  
 quia ὑπεροχὴ, vel potius Prioritas, in operando sequitur  
 ὑπεροχὴν s. Prioritatem in Subsistendo. Propter quam  
 Prioritatem etiam Patri Creatio singulariter tribuitur  
 Matth. 11, 25. Act. 4, 24. 26. & in Symbolo Apostolico; i-  
 tem Pater, Filius & Spiritus S. Præpositionibus distin-  
 ctivis *in Ex*, *dia Per*, & *ev In*, 1. Cor 8, 6. Joh. 1, 3 Hebr. 1, 2.  
 2. Thess. 2, 13. distinguuntur. In operibus quoque Gra-  
 tiæ, Dei Patris Causa προνύμευν Dilectio, Gratia & Mi-  
 sericordia prædicatur Joh. 3, 16. Rom. 3, 24. ut & pasim  
 initii Epistolarum Apostolicarum. Quicunque ergo  
 Auctores hoc sensu tantum, sc. ratione Ordinis &  
 Originis Personalis, Deo Patri ἐξοχὴν s. ὑπεροχὴν, *Excellentiam*  
*Eminentiam* quandam tribuunt, orthodoxe sentiunt; quae-  
 les sunt ex Reformatis Calvinus Instit. l. 1. c. 8. §. 23. Zan-  
 chius lib. 5. de Trib. Elohim c. 7. p. m. 554. &c. Sohnius,  
 Exeg Aug. Confess. Art. 1. p. m. 134, 135. Polanus 1, 3. Synt.  
 Theol. c. 10. p. m. 637. seq. Henr. Alting. Loc. Comm.  
 part. 1. Loc. 3. p. 38. & Theol. Probl. Nov. Loc. 3. Probl. 33.  
 p. m. 228. ubi hanc Quæstionem ex professo tractat.  
 Chamier Panstrat. Tom. 2. l. 1. c. 4. §. 34. seq. p. 8. 9. Al-  
 sted in Suppl. Cham. de Eccles. l. 2. c. 9. th. 17. Matth.  
 Martinius. l. 1. Theol. tract. 3. c. 7. Turrettin. Instit.  
 Theol. Elench. Loc. 3. qu. 27. §. 16. p. m. 308, 309 D. Georg.  
 Bullus, Anglus, Strenuus ille Fidei Nicænae Defensor,  
 in De-

in Defens. Fid. Nicæn. Sect. 4. c. 1. 2. 3. p. m. 432. seqq. ubi docet, omnes Catholicos Patres unanimiter Patri ὑπερ-ροχὴν Ordinis & Originis Personalis tribuisse. &c. Ex Romano-Catholicis. Greg. de Valentia, Tom. 1. Com. Theol. dis. 2. qu. 7 Bellarm. l. 1. de Christo c. 10. p. m. 284. 290. qui Patri excellentiam & majoritatem quandam dicto sensu tribuit, cum tamen in Præf. ad Libb. de Christo, Calvinus eo nomine dicam scribat, quod Patri ὑπερροχὴν quandam adscripsit: Jod. Clichtoveus, l. 1. de Fide Damasc. c. II. Joh. Bapt. Gonet. Clyp. Theol. Thom. Tom. 2. Tract. 6. disp. 8. p. 232. 233. &c. ac proinde non in eandem classem referendi sunt cum Remonstrantibus; quorum tamen sententiam adoptarunt & stylum imitati sunt Rad. Cudworth Anglus, in The True Intellectual Systeme; & Henricus Nicolai, in Methodo Trinit. th. 36. 37. quia Remonstrantes Patri Excellentiam & Eminentiam tribuunt respectu ipsius Deitatis, Dignitatis ac Potestatis, indeque Filium & Sp. S. Patri subordinant. Quo sensu citati Reformati & Rom. Catholici Auctores Excellentiam & Eminentiam Patris præ Filio non admittunt, sed æqualitatem Personarum divinarum asserunt, & propugnant.

## §. XI.

II. Deitas Filii probatur ex Nominibus divinis essentia-libus. I. ex nomine יהוה 1. Num. 14, 22. & Ps 95, 9. Israelitæ dicuntur tentasse Jehovah & Num. 21, 5. 6. Jehovah dicitur serpentes ignitos immisisse in populum murmurantem adversus Deum & Mosen; At illud Paulus Christo tribuit 1 Cor. 10, 9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a Serpentibus perierunt. 2. Es. 6, 5. Regem Dominum (יהוה) vidi oculis meis; At Johannes c. 12, 40, 41. ait, Esaiam tunc vidisse gloriam Christi & locutum esse

de eo. 3. Ps. 102. 26, 27. Tu Domine (תְּהִלָּה) terram fundasti  
 Et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem  
 permanes &c. At haec Christo applicat Apostolus Heb.  
 1. 10. 4. Ef. 4. 35. Parate Viam Domino. Mal. 4. 5. 5. Jerem. 23. 5. 6.  
 Et hoc est nomen, quo vocabunt eum: Dominus Iustitia nostra.  
 II. Ex nomine Elohim. 1. Ps. 45. 7. Solium tuum Deus, in  
 Seculum Seculi. Uxit te, Deus, Deus tuus oleo latitia.  
 2. Ps. 68. 19. de Deo, cuius egressus coram populo, cu-  
 jus currus sunt myriades; dicitur. Ascendiisti in altum,  
 cepisti captivitatem: accepisti dona pro hominibus; quod  
 ad Christum refert Paulus. Eph. 4. 8. 9. 3. Ef. 4. 10. Rectas  
 facite in Solitudine Semitas Deo nostro. III. Ex nomine  
 אל גבור Ef. 9. 6. Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Com-  
 siliarius, Deus fortis, Pater futuri Seculi, Princeps pacis.  
 Ef. 7. 14. Filius e Virgine nasciturus vocabitur Immanuel.  
 VI. Ex nomine Adonai & Adon, Ps. 110. 1. Dicit Dominus  
 dominio meo: Sede a dextris meis. quod Christus ipse  
 de se dictum testatur Matth. 22. 42. 43. v. 5. Dominus a  
 Dextris tuis, confregit in die ire sue Reges. Mal. 3. 1. Ecce  
 mitto Angelum meum, et preparabit viam suam ante faciem  
 meam; Et statim veniet ad templum suum Dominus. V. In  
 N. T. ex nomine Θεός. Joh. 1. 1. Et Verbum erat Deus.  
 Joh. 20. 28. Respondit Thomas: Dominus meus, et Deus meus!  
 Quae verba olim quidem Theodorus Mopsueste-  
 nus, tanquam admirantis & ad inusitatum insperatum  
 que spectaculum attoniti, interpretatus est; Hic enim  
 Confessionem Thomae, per quam dum palpareret manum bella-  
 tus Domini post Resurrectionem, dixit: Deus meus et Domi-  
 nus meus, asseruit, non fuisse dictum de Christo a Thoma: Nec  
 enim esse cum Deum dicit, sed miraculo Resurrectionis obstu-  
 pescerent Thomam glorificasse Deum, qui suscitavit Christum.  
 Verum hujus sententia in Concilio Constantinop. V.  
 Cap. 12. anathemate damnata est. ap. Caranz. p. m. 316.

317. So-

317. Socino, post aliquot Secula eandem Explicationem repetenti, contradixit ipse Jon. Slichtingius Comment. in h. l. *Quo minus hec verba mirantis esse credamus facit, primo, quod Thomas hec verba Christo dixerit, i. e. his verbis ipsum Christum compellaverit. Ait enim Johannes: Et dixit ei, nempe Christo, non simpliciter dixit, quod admirantis erat. Deinde ex ipsa admiratione non pateret Thome fides, quam tamen illi Christus mox tribuit; cum etiam speciem apparentem rei alicujus, qua nobis incredibili videatur, tanto magis admirari possumus, quanto minus rem ipsam vere fieri credamus.* Non dubium igitur est, quin Thomas rei veritate convictus, sicut a Christo fuit admonitus, ab infidelitate deflitterit, & fidem se probuerit. Ideoque Christum appellat Dominum suum & Deum suum: quasi dicat: ô Domine mihi Deus mi! Agnosco te Dominum meum & Deum meum esse, &c.

Actor. 20, 28. Deus Ecclesiam suam Sanguine suo acquisivit. Rem. 9, 5. Ex Patribus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula: quae non est Apostrophe ad Patrem, sed doxologia ad Christum pertinens. 1. Tim. 4, 10. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Tit. 2, 13. Expectantes beatam spem, & adventum Glorie magni Dei. 1. Joh. 5, 20. Hic est verus Deus & vita eterna. VI. ex nomine κύριος quod quandoque absolute, quandoque cum apposito Christo tribuitur; Luc. 1, 16, 17. Angelus de Joh. Bapt. Multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Luc. 2, ii. Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in Civitate David. 1. Cor. 2, 8. Dominum Gloriam crucifixerunt. 1. Cor. 8, 6. Nobis est unus Dominus Jesus Christus. Eph. 4, 5. Unus Dominus. 1. Cor. 15, 47. Dominus est caelo. Jud. v. 4. Solus Dominus. Apoc. 17, 14. Dominus Do-

minorum. c. 19, 16. Dominus Dominantium. VII ex nomine, δεσπότης; 2. Pet. 2, 1. Erunt Pseudoprophetæ & magistri mendaces, Dominum, qui emit eos, negantes conf. Jud. v. 4. Quibus congruenter Christiani in Primitiva Ecclesia soliti sunt Christo quasi Deo Carmen dicere, stato die: teste Plinio l. 10. Epist. 97.

## §. XII.

Luculenter Christi Deitatem quoque probat Divina illa *Generatio*, qua, utpote Actione ad intra personali, Deus Pater Communicatione ejusdem Essentiae divinae Filium Consubstantiale, verè quidem & propriè, hyperphysice tamen, αὐταλήπτως (*incomprehensibiliter*) αὐχρών (*sine successione temporis*) αὐχωρίσως (*inseparabiliter s. sine decisione*) καὶ ἀπαθῶς (*sine passione & mutatione*) genuit ac produxit, & Filius genitus ac produktus est. Hac divina Generatione & Filiatione offenduntur 1. *Judei*, qui volunt, Deo inhonestum esse, habere Filium, cum uxorem non habeat; cum tamen in V. T. quoque & Generationis ac Filii Ps. 2, 7. Prov. 8, 22. seq. Prov. 30, 4. & πρὸς Germinis Es. 4, 1. Jer. 23, 5. c. 33, 25. Zach. 3, 8. c. 6, 12. mentio fiat. 2. *Muhammedani*, qui in Alcorano Azoarâ 29. ajunt: *Ob hoc turpe dictum* (Patrem habere Filium) *ferē cælum sē confudit, & tellus aufugit, omnisque mons cecidit*. Azoar. 31. qui Deum Filium habere credit, gehennam ingressurus, dicitur, prout mali merentur. Azoar. 32. ab avibus devorandus. 3. *Ariani*, qui statuerunt, Christum quidem Filium Dei dici, sed propter Creationem antefecularem ex σὺν οὐλων; & propter Conceptionem à Spiritu S. it. propter Resuscitationem ex mortuis, ac propter Exaltationem ad dextram Dei & potestatem Christo datam super omnia. 4. *Sociniani*, qui contendunt, Christum Filium Dei potissimum esse ac dici  
I. prop-

(55.)

1. propter Conceptionem à Spiritu S. Luc. 1,35. 2. propter segregationem & sanctificationem ad Munus Mediotorium Joh. 10, 34. 35. 36. 3. propter Resuscitationem à mortuis, quò referunt Act. 13,33. 4. propter Exaltationem & elevationem ad dextram Dei Act. 2,36. 5. propter datam Christo potestatem super omnia in cœlo & in terra. Matth. 28,18. 5. Seculo quidem VIII. A. C. 794. Felix Urgellitanus & Elipandus Toletanus, Episcopi Hispani, docuerunt, Christum secundum humanam Naturam esse *Filiū Dei Adoptivū*, per Gratiam Adoptionis, utpote natum de Maria Virgine ex Voluntate Patris, ac proinde nuncupativè Deum ; unde Orthodoxi hanc Consequentiam deducebant : admitti *duos Fílios*, duasque Personas; nec Dei Filium, sed Hominem, Filium Dei Adoptivum à Filio Dei assumptum, pro nobis passum, crucifixum ac mortuum esse; Quapropter hæc sententia, vulgo Hæresis Felicianæ s. Adoptianorum dicta, ut Nestorianismo affinis, in Synodo Francofordensi damnata est. Verum, quia Felix & Elipandus crediderunt, Christum secundum Divinam Naturam verum, naturalem ac proprium Dei Filium esse, ex Substantia Patris genitum, hinc verum cum Patre & Spiritu S. Deum; Error illorum hoc directe non pertinet. Quemadmodum autem Arianorum error ex præconcepra Opinione, quod Christus ante conditum Mundi *εξ ἀνθρώπου* creatus sit; Socinianorum verò, ex præjudicio, quod Christus ex B. Virgine Maria initium suum habuerit, ortus est : Ita Infidelium, Judæorum & Muhammedanorum, ex parte etiam aliorum Antitrinitariorum, error inde proficiscitur, 1. quod *Generationem* accipiunt non in universali suo Conceptu, quo sensu ex Damasc. l. 1. de Orthod. Fid. c. 8. describitur,

*quod*

quod sit Suppositi alicuius ex alterius substantia in similem s. eandem, numero aut specie, substantiam facta producio, inferens relationem Filii: Unde Ratio formalis Generationis consistit, in dare esse & accipere esse substantialis: quod in Generatione in communi, quat. præscindit à Generatione in certo quodam Subje<sup>c</sup>to, ac proinde in Generatione divina quoque, locum habet. 2. quod confundant Generationem physicam cum hyperphysica, hancque non liberent ab imperfectionibus physicæ Generationis (1) à transitu & mutatione à non esse ad esse s. à potentia ad actum. (2) à divisione & multiplicatione essentiæ numericæ. (3) à prioritate & posterioritate temporalis durationis (4) à formalibus rationibus Generationis activæ & passivæ. (5) à dependentia causalی generati à generante, & minoritate illius ac majoritate hujus. &c. A quibus tamen imperfectionibus Generationem hanc liberandam esse res ipsa clamat, quia Generatio hæc Divina & ineffabilis est, qua Deus Pater Filium suum genuit non per modum actus transeuntis; sed per modum actus immanentis & per emanationem, ut radii à Sole jugiter emanant; secundum indubitata Sacrarum literarum oracula: Ps. 2, 7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Prov. 8, 22. 23. 24. Dominus possedit me in initio viarum svarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab aeterno ordinata (inuncta) sum & ex antiquis antequam terra fieret: Nondum erant abyssi & Ego jam concepta (s. genita) eram: nec dum fontes aquarum eruperant: nec dum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar וְזַיִלְלָה ubi nec Sapientiam in genere s. in abstracto; nec Sapientiam Dei essentiali, sed Sapientiam Personalem intelligendam esse, inde patet, quia mera personalia de ea dicuntur v. gr. clamat, docet,

docet, labia sua aperit, filios hominum vocat, habitat  
in consilio, eruditis interest cogitationibus, per eam  
Reges regnant & Principes imperant, Creatori adest,  
ludit coram eo, adhortatur. c. 9. ædificat domum, im-  
molat viætmas, parat convivium &c. Neque brevitas  
præceptorum permittit ut hic Protopopœia locum habe-  
at. Versio LXX. Interpr. ὁ κύριος ἐντοξεύει, textui Ori-  
ginali nullum præjudicium creare potest. Fieri etiam  
potuit ut Septuaginta vel Scribæ, pro ἐνθάδε, adhibue-  
rint, ἐντοξεύει, sed eodem sensu: posse dicit; cum jam olim n̄ ut  
i pronciatum sit. Nam posidentur etiam, qui gig-  
nuntur; quo sensu Eva Gen. 4, 1. dixit: Posse dico vel acquisivi  
Virum Dominum. Divinam hanc Filiationem quoque  
probat Mich. 5, 2. Ex te Bethlehem mihi egredietur, qui fit  
dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, adiebus aeterni-  
tatis. Unde non tantum Zemach, Germen, dicitur Es. 4,  
1. Jer. 23, 5. c. 33, 15. Zach. 3, 8. Ecce ego adducam servum  
meum Zemach, Germen. Zach. 6, 12. Ecce Vir, Zemach,  
Germen, nomen ejus: Sed & Filius Dei vocatur. Dilectus  
Matth. 3, 17. Marc. I, II. Matth. 17, 5. Hic est Filius meus  
dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite! Filius  
unigenitus Joh. 1, 18. c. 3, 16. 18. 1. Joh. 4, 9. Filius Altissimi  
Luc. 1, 32. Marc. 5, 7. Filius proprius Rom. 8, 32. Filius di-  
lectionis sue Col. 1, 13. quibus additamentis ampliantibus  
Filius hic Dei ab aliis Filiis Dei, jure Creationis vel A-  
doptionis talibus, quales sunt Angeli & homines, satis  
distinguitur, ipsisque Angelis præfertur: Qui cum sit  
splendor gloria & figura ( expressa imago) Substantia ejus  
tanto melior Angelis effectus est, quanto differentius pre illis  
nomen hereditavit. Hebr. 1, 3: 4.

## §. XIII.

Non minus Deitas Christi probatur ex nomine  
H λόγος

λόγος S. Johanni familiari Joh. I, I. 2. 3. In principio erat λόγος Verbum vel Sermo, & λόγος f. Verbum erat apud Deum, & Deus erat λόγος f. Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil, quod factum est. &c. & v. 14. Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Et I Joh. I, I. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostra contactaverunt de Verbo Vita, hoc annunciamus Vobis &c. it. I Joh. 5, 7. & Apoc. 19, 13. quibus addunt Luc. I, 2. Act. 20, 32. nonnulli etiam Hebr. 4, 12. Quod Nomen S. Johannes non mutuo sumpfit ex Zoroastre, Orphicis, Heraclito, & præcipue Platone & Platoniconum scriptis, quod sibi persuasissime videtur Amelius, Philosophus Platonicus, Per Jovem, inquiens, Barbarus iste cum nostro Platone & Heraclito sentit Verbum Dei in Ordine Principiis esse constitutum, & nostri Magistri Mysteria in suum ipsius librum translatis. Augustinus quoque lib. 10. de Civit. Dei c. 29. refert, se ex Simpliciano, Episcopo Mediolanensi, non semel audivisse, quendam ex Platonice dixisse, aureis literis describendum esse Evangelii Johannis initium & in conspicuis Ecclesiarum omnium locis propoundendum. Tantum vero abest, ut Johannes λόγος nomen à Platone mutuatus sit, ut, inverso ordine, Plato potius aliquie Gentilium Auctores vocem λόγος ex libris Sacris, Judaicisque Scriptis, sed perverto sensu. de promperint, quod diffiteri non potuit Christoph. Sandius, Arianus, Dissert. de λόγῳ p. 266. 281. 282. Juxta Platonem λόγος est idea de mundo creando, quam ante Creationem mundi sibi formavit, atq; exemplar aspectabilis hujus mundi ab intellectu divino formatum, a quo & secundum quod mensuretur, non Deus, sed Deo inferior, junior, minor Dei filius ipse mundus, Anima Mundi.

Mundi. Vid. Senec. Ep. 65. Quæ sanè nihil coniuncte habent  
 cum λόγῳ quem Johannes nobis describit. Vid. Petav.  
 Theolog. Dogm. Tom 2. lib 1. c. 1. §. 2. p. 2. & c 2. §. 2. p. 7. D.  
 Herm. Witius Miscellan. Sacr. Tom. 2. Exerc. 3. §. 10.  
 p. 96. Arthurus Bury Latitudin. Orthodox. Part. 2. c. 1.  
 p. 58. 59. & Dn. D. Sam. Strimesius in Dyodec. 3. Theolo-  
 gicar. Annotat. in Controversi. Remonstr. §. 4. 5. p. 7. 9.  
 ieqq. Stoici per λόγον s. Rationem, Deum ipsum Mundi  
 Causam Efficientem intelligebant: Nam Naturam in  
 res duas dividebant, referente Diog. Laert. in Zenone  
 Sect. 134. ut altera esset τὸ ποιητὴν Efficientem, altera τὸ πάχον,  
 Patiens; vel, ut Cicero vocat. Academ. Quæst. L. I. huic  
 (Efficienti) se præbens, ex qua efficeretur aliquid. In eo  
 quod efficeret, Vim esse censabant; in eo quod efficeretur, Ma-  
 teriam quandam, in utroque tamen utrumque. Neque enim  
 Materiam ipsam coherere potuissent, si nulla Vi contineretur,  
 neque Vim sine aliqua Materia. Quam Stoicorum Men-  
 tem clare explicat Seneca Ep. 65. Dicunt Stoici nostri  
 duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: Causam &  
 Materiam. Materia jacet iners; res ad omnia parata: cessa-  
 tur, si nemo moveat. Causa autem, id est Ratio, Materiam,  
 format, & quounque vult, versat. Ex illa, varia opera pro-  
 ducta. Esse debet ergo, unde aliquid fiat; deinde a quo fiat:  
 Hoc causa est, illud Materia. Post aliqua: Quarimus quid  
 sit Causa; Ratio faciens; id est, Deus &c. & tandem: Nempe  
 universa ex materia & ex Deo constant. Adde Lactant. l.  
 7. Instit. divinar. c. 3. Cum itaque S. Johannes neque à  
 Zoroastre, neque à Mercurio Trism. neque à Pythagora,  
 neque à Platone, neque à Stoicis hoc Nomen ac-  
 ceperit, relinquitur, quod ex Verbo Dei ac Scriptis Pro-  
 pheticis, à Spiritu S. profectis, id Nomen habuerit, eo  
 que eo libertius usus fuerit, quod & Judæis; tam ex

Codice Hebraico, (in quo vox רְבָר occurrit) quam ex Paraphrasibus Chaldaicis, (in quibus frequens מִרְאָה רַי occurs) mentio fit, ut loca à Buxtorffio, Grotio, Georg. Vechnero, Rittangelio, Witsio, aliisque, collecta docent; & Scriptoribus Ethnicis, notum, usitatum & gratum esset. Intelligitur autem hic non λόγος προφορικός Sermo s. Verbum externum prolatitium, neque λόγος ἐνδιαλεγόμενος Verbum internum mentale, quod vel ipsam Rationem cogitandi facultatem; vel Cogitationem actualem, quae est qd. tacita quædam mentis Oratio, notat; Neque λόγος ἐπιστωθεὶς Verbum qd. Accidentale, quod per modum Accidentis & Qualitatis concipitur & per Decretum exprimitur; Sed λόγος ἐπιστωθεὶς υποστατικός, Verbum Substantiale Personale, quod omnia Joh. I, I. seqq. de hoc λόγῳ prædicata evincunt; illoque Filius Dei significatur tum ratione Officii Prophetici, quia est Legatus, Interpres, Os, Orator Patris, hominibus Voluntatem divinam annuncians; quod Sociniani tantum volunt; tum ratione Personæ Divine, quia est æterna Patris Sapientia, non Essentialis, sed Hypostatica. Quo de λόγῳ Tertullianus scribit: *Hunc ex Deo prolatum didicimus & prolatione generatum & idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate Substantia: nam & Deus Spiritus.* Etiam cum Radius ex Sole porrigitur, portio ex summa, sed solum erit in radio, quia solum est radius, nec separatur substantia, non extenditur. Idem alibi: *Prolatum dicimus à Patre, non separatum.* Et quidem Filius Dei λόγος dicitur I. respectu Modis Productionis, propter emanationem æternam à Patre, ut Verbum à Mente naturâ emanat. 2. respectu Representationis, quia ut Verbum mentem, ita Filius Patrem repræsentat & declarat. 3. respectu Conjunctionis, quia ut Verbum cum Mente, ita Filius cum Patre arctissime unitus est.

Quod

(61.)

Quod Nazianz. Orat. 2. de Filio, quæ est 4. de Theol. ita expressit: *Videtur mihi λόγος dici, quia se ita habet ad Patrem λόγος ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis experiem, sed etiam propter conjunctionem & vim enuntiandi, quia est imago & character Patris, qui genuit, qui totum in se ipso Patrem exhibet, ut sermo mentis cogitationem totam representat.* Gemina habet Basilius M. in Evangelii Joh. initium. Ex quibus Deitas Filii appetet.

§. XIV.

In V. T. Angelus Singularis Patriarchis apparet, qui Gen. 48, 16. *Angelus Goel s. Redemptor*; Es. 63, 9. *Angelus Facit*, Dei, coll. cum Exod. 23, 20. dicitur; & qui Gen. 18, 1 seqq. *Abrahami monitor & Hospes*; Gen. 19, 18. *Lothi Erector*; Gen. 22, 11. *Isaaci ab intentata morte Liberator*; Gen. 32, 24. *Jacobi Collector*; Gen. 48, 16. *Jacobi Redemptor*; Eod. 1, 2. *Rubi habitator*; Exod. 13, 21. 22. C. 14, 19. 20. c. 23, 20. *Israelitarum* per desertum, in terram Canaan *Dux*; Act. 7, 38. in Monte Sinai *Legislator*; &c. &c. fuit. De quo quæritur: An creatus Angelus vel Increatuer fuerit? Judæi hodierni Majorū Angelū Metatron: de quo extat illustris locus R. Bechai, non admittunt, & creatum Angelum apparuisse volunt. Vetustissimi Primitivæ Ecclesiæ Doctores Justinus, Chrysostomus, Hilarius, Novatianus, Ambrosius, Leo, Angelum Increatuum, adeoq; ipsum Dei Filium, qui in præludium Incarnationis, immediate, in appropriata quadā Forma Patriarchis apparuerit, intellexerunt: Quorum sententiam adeo probavit Synodus Sirmiensis, ut dissentientibus Anathema dixerit: *Si quis cum Jacob non Filium tanquam hominem luctatum esse, sed Deum ingenitum, aut Patrem ipsius affirmari: Anathema eis!* ap. Socrat. Hist. Eccl. 1. 2. c. 25. p. m. 582. Cum vero Ariani hanc opinionem in rem suam verterent, atque ex hac Missione & Apparitione Filii Dei non solum

inæqualitatem ac minoritatem, sed & diversam essentiam Filii à Patre colligerent, Patres citeriores, Athanasius, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Gregorius M. ut Arianis eò fortius obviam irent, Filium Dei non immediate, sed mediate, nec tantum Filium, sed & Patrem & Spiritum S. (quia Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa) Patriarchis, per Angelum, apparuisse dixerunt. Quam sententiam deinceps præter Judæos, Romanæ Ecclesiæ Doctores pasim; it. ex Lutheranis Theologis D. Georg. Calixtus, & D. Christ. Dreierus approbarunt; quibus nonnulli, ex Reformatis accensent Calvinum, Pet. Martyrem, Wolfgang. Muscolum, Zwinglium. Photiniani, Sociniani & Remonstrantes item volunt, non Filium Dei, sed Angelum, nonnunquam Angelos, Patriarchis apparuisse. Qui omnes etiam loca Scripturæ Hof. 12, 3. 4. Act. 7, 30. 35. 53. Gal. 3, 19. Heb. 2, 2. c. 13, 2. c. 1, l. 2. urgent. Vide D. Dreier's Erörterung / Qu. 3. p. II6. II7. Verum his omnibus opponitur hoc Argumentum: Cui Angelo tribuntur Nomina, Attributa, Opera Divina, & Cultus Invocationis & Adorationis religiosæ, ille est increatus Angelus, ac proinde Filius Dei. A. Angelo illi, qui Patriarchis apparuit, tribuntur Nomina &c. Divina, &c. quod locis citatis videre est. E.

## §. XV.

Præter Nomina tum ab Essentia tum ab Officio desumpta Deitatem Filii Dei probant *Attributa Divina*, quæ sunt realiter idem cum Essentia Divina; qualia sunt 1. *Aeternitas*, quæ Christo adscribitur Es. 9, 6. ubi vocatur Pater *Aeternitatis*. Joh. 1, 1. *In principio erat Verbum*. Prov. 8, 22. *Dominus possebat me in initio viarum suarum*. antequam quicquam faceret à Principio: ab aeterno inunctus sum &

sum & ex antiquis antequam terra fieret. Michæ. 5. 2. Egressus  
 ejus ab initio, à diebus eternitatis. Joh. 8. 58. Antequam  
 Abraham fieret, ego sum. quod non ita exponendum: An-  
 tequam Abraham fieret Abraham, i.e. Pater multarum  
 Gentium, ego sum Messias; nam de existentia Christi  
 agebatur inter Christum & Judæos, non quis vel qua-  
 lis Christus esset vel futurus esset. Apoc. 1. 8. Ego sum  
 a & w principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, qui  
 erat, qui venturus est, it. c. 11. 17. Joh. 17. 5. Glorifica me, tu  
 Pater, apud ictem ipsum, gloria, quam habui priusquam  
 mundus esset. Col. 1. 17. Ipse est ante omnes, & omnia in ipso  
 constant. Heb 7. 3. Nec initium dierum nec finem vita habet.  
 v. 16. dicitur Sacerdos secundum potentiam vite indissolu-  
 bilis. v. 24. manere in eternum. c. 9. 14. Spiritu aeterno se ob-  
 tulisse. c. 13. 8. fesus Christus heri & hodie: ipse & in secula.  
 Huc referri potest, quod Judæi in Tractatu Thalm.  
 Pesachim c. 4. & Nedarim c. 4. Messiae nomen referunt  
 inter septem illa, quæ fuerunt antequam hic mundus  
 creatus esset. 2. Immutabilitas: Ex Ps. 102. 27. 28. Heb. 1. 12.  
 Tu ipse idem es & anni tui non deficient. Heb. 13. 8. 3. Omni-  
 presentia. Matth. 18. 20. Ubi sunt duo vel tres congregati in  
 nomine meo, ibi sum in medio eorum. c. 28. 20. Ego sum vobis-  
 cum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Joh. 3.  
 13. Nemo ascendit in Cælum, nisi, qui descendit de Cælo, Filius  
 hominis, qui est in cælo. Hebr. 7. 26. Talis decebat, ut nobis  
 esset Pontifex, excelsior cælis factus. 4. Omniscentia. Joh.  
 2. 25. Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de ho-  
 mine, ipse enim sciebat, quid esset in homine. Joh. 21. 17. Tu  
 Domine nostri omnia. Prov. 8. & 9. dicitur Sapientia Patris.  
 Matth. 11. 19. Sapientia justificatur à filiis suis. LUC. 11. 49.  
 coll. cum Matth. 23. 34. Sapientia Dei dicit; mitto ad vos  
 Prophetas & Apostolos; quæ apud Matthæum ita habent:  
 Ego ad

Ego ad vos mitto Prophetas & Sapientes. Matth. 9, 4. vidit cogitationes hominum. Matth. 11, 27. cognoscit Patrem. Joh. 3, 11, 32. vidit, que testatur. Joh. 5, 19. 20. videt, que Pater facit. Apoc. 2, 23. scrutatur renes & corda. Heb. 4, 13. coram ejus oculis nihil est occultum. 5. Omnipotentia. Apoc. 1, v. 8. παντούραπερ, Omnipotens ille vocatur. Heb. 1, 3. fert omnia verbo potentia sua. Joh. 5, 17. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. v. 19. 20. 21. facit, que vidit Patrem facientem, & sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat: Sic & filius, quos vult, vivificat. Phil. 3, 21. Potest sibi subjicere omnia. Hanc omnipotentiam suam miraculis ostendit, conf. & Ef. 11, 2, 6. Sanctitas. Ef. 6, 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. coll. cum Joh. 12, 41. hec dixit Jesaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo. Dan. 9, 24. Septuaginta hebdomades abbreviate sunt - ut ungatur Sanctus Sanctorum. Joh. 10, 36. Pater eum sanctificavit. Rom. 1, 4. predestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis. Heb. 2, 11. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. 7. MAJESTAS ET GLORIA, Joh. 17, 5 Glorifica me, Pater, apud temetipsum, gloria, quam habui prius, quam mundus esset. Apoc. 5, 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. II. Opera divina Deitatem Christi probant. 1. Creatio: Ps. 33, 6. Verbo Domini cœli creati sunt, ex Psal. 102, Hebr. 1, 10. Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Joh. 1, 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Col. 1, 16. In ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt & ipse est ante omnes & omnia in ipso constant. 2. Conservatio:

tio: Joh. 5, 17. Pater meus usque operatur, & Ego operor.  
 Col. 1, 17. Omnia in ipso constant. Heb. 1, 3. Portat omnia  
 verbo virtutis sue. 1. Cor 8, 6 3. Miraculorum patratio. O-  
 pus Redemptionis: Es. 54, 5. Dominabitur tibi qui fecit te,  
 Dominus exercituum nomen ejus, & Redemptor tuus Sanctus  
 Israel, Deus omnis terra vocabitur. Joh. 17, 10. mea omnia  
 tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Sponsio:  
 Hebr. 7, 22. In tantum melioris Testamenti Sponsor factus  
 est IESUS. Elec<sup>tio</sup>, Eph 1, 4. Deus elegit nos in ipso. Joh. 13, 18.  
 Ego scio quos elegerim. Redemptio, Hof. 13, 14. De manu  
 mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors,  
 morsus tuus ero, inferne. Zach. 9, 11. Vocatio, Marci 16, 15.  
 Matth 28, 19. Luc. 24, 40. Sacramentorum institutio, Mat-  
 th. 28, 19. c. 26, 26. 27. 1. Cor. 11, 23. Justificatio, Esa. 53, 11. In  
 scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos. Pecca-  
 torum remissio Matth. 9, 6. Filius hominis habet potestatem  
 in terra remittendi peccata. Ecclesia protectio Matth 16, 18.  
 Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & porte inferi  
 non prævalebunt adversus eam. Joh. 10, 29. Nemo rapiet oves  
 ex manu mea. Salvatio Act. 3, 6. III. Inde quoque honor  
 & Cultus divinus Christo tribuitur Ps. 2, 11. 12. Servite  
 Domino in timore, osculamini filium. Joh. 5, 22. Ut omnes ho-  
 norificent filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorat  
 Filium, non honorat Patrem qui mihi sit illum. Heb. 1, 6. Ado-  
 rent eum omnes Angeli Dei. Philipp. 2, 9. 10. 11. Deus exal-  
 tavit eum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen,  
 ut in nomine IESU omne genu fleatatur &c. Apoc. 5, 12. 13. 14.  
 Dignus est Agnus ut accipiat virtutem & divinitatem &  
 sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictio-  
 nem &c. Hinc Luc. 24, 25. Apostoli adorarunt Chri-  
 stum. Act. 7, 59. Stephanus dixit: Domine IESU, suscipe  
 Spiritum meum. Act 9, 14. Christiani describuntur, o-  
 mnes

mnes qui invocant nomen Christi. Matth. 28, 19. Fideles in nomen ejus baptizantur. Joh. 3, 15, 16. c. 12, 36. c. 14, 1. in Christum credendum. 1. Cor. 16, 22. *Si quis non diligat Dominum Iesum Christum sit anathema.* Solide hæc Scripturæ loca ab Exceptionibus Antitrinitariorum vindicavit B. D. Christ. Beccanus Exercitationibus Theol. septendecim prioribus, quas vide.

## §. XVI.

Ex dictis constat, quo sensu Filius Dei *Aυτογεός* dici queat vel nequeat. Scilicet, vox *Aυτογεός* vel significat *verum, ipsum s. ipsissimum Deum*; qui habet esentiam quæ est à se ipsa, aliunde non decifam; vel significat *Deum à seipso*. Priori sensu Filium Dei esse *Aυτογεόν* ex argumentis allatis liquidò patet; Posteriori autem sensu Filius Dei non est *Aυτογεός*, quia non est à seipso Deus, sed à Deo Patre genitus, & quia Pater Filio esentiam Divinam, *τρόπῳ ὑπάρχειν* Filii affectam, communicavit; unde Concilium Nicænum Filitum DEI Deum de Deo, Lumen de Lumine vocat, argumento locorum Joh. 5, 16. *Pater dedit Filio vitam habere in seipso.* Joh. 6, 58. *Ego vivo propter Patrem.* Joh. 7, 29. *Ego scio eum quia ab ipso sum.* c. 8, 26. *sicut docuit me Pater loquor in mundo, & quæ audivi à Patre meo.* Matth. 11, 16. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quæ constans fuit Catholicorum Patrum doctrina; observante D. Georg. Bullo Defensione Fidei Nicænæ Sect. 4. §. 7-8. seq. p. m. 439. seqq. Priori sensu Joh. Calvinus & Beza Filium, *Aυτογεόν*, contra Valentinum Gentilem dixerunt, quos eo nomine vexarunt & Auctores Hæreses *Autotheorum* finxerunt Genebrardus, Wilh. Lindanus, Pet. Canisius, alii, & post hos Dionysius Petavius Theol. Dogm. Tom. 2. de Trin. lib. 6. c. II. §. 5. seqq. p. 618. seq. & Cap.

& Cap. 12. p. 623. Verum innocentiam Calvini ingenue agnovit & adseruit ipse Bellarminus lib. 2. de Christo c. 19. p. m. 346. inquiens: *sed quanquam hæc ita sç habeant, tamen, dum rem ipsam excutio, & Calvini sententias diligenter considero, non facile audeo pronunciare, illum in hoc errore fuisse.* Siquidem docet, *Filium esse à se, respectu Essentia, non respectu Personæ, & videtur dicere velle, Personam esse genitam à Patre, Essentiam non esse genitam, nec productam, sed esse à se ipsa, ita, ut, si à Personâ Filii removeas relationem ad Patrem, sola restet Essentia, qua est à se ipsa.* quod deinceps productis Calvini verbis ex Instit. lib. I. c. 13. §. 13. 19. 23. 25. probat, licet, quoad modum loquendi, sine dubio eum errasse judicet. Ibid. c. 5. p. m. 326. in materia affini inquit; *Utinam semper sic erraret Calvinus!* neque in Recognitione quidquam in contrarium assert. quam Bellarmini moderationem erga Calvini sententiam improbat Petavius Theol. Dogm. Tom. 2. lib. 6. c. II. §. 5. p. m. 618. Loquendi formulam simpli- citer rejiciendam, ut Sabellianæ hæresi affinem existimat Jac. Arminius in Epist. ad Joh. Uytenbog. quæ extat in Epist. Præstant ac Erudit. Viror. Ep. 44. p. m. 58. seqq. & Georg. Bullus Defens. Fid. Nicænæ sect. 4. §. 7. 8. p. m. 439. 440.

### §. XVII.

III. S. Trinitatis dogma probat Spiritus S. Perso-  
nalitas & Deitas. Spiritum S. esse personam divinam  
negant Antitrinitarii, qui Spritum S. Dei *Virtutem*,  
*Afflatum, Inspirationem, Auram, Agitationem & Qualitatem*  
esse volunt; illumque, quatenus in Deo manet ut Spiritus  
ejus *internus & immanens, Virtutem Dei Naturalem;* quæ  
instar Fontis concipienda, sit; quatenus vero à Deo fide-  
libus datur atque à Deo in homines manat, *Virtutem medi-*

mediam s. Qualitatem intermediate, quæ effectus & donationem habeat, vocant. Vide Joh. Crellii Prolegomena Tractatus de Spiritu S. qui Fidelib. datur. & ib. c. 3. p. 141. it. Ejusd. lib. de Deo & Attrib div. c. 22. p. 158. & Volkel. de Vera Rel. I. 5. c. 14. p. 492. seqq. Vere paradoxum est Problema Christoph. Sandii: Annon per Spiritum S. sanctorum Angelorum genus intelligi posfit? Nos Spiritum S. Personam divinam ordine tertiam esse credimus, à Patre & Filio, uno æterno & indivisibili Inspirationis actu, s. communicatione ejusdem numero essentiæ, modo incomprehensibili, productam, quæ ut ab æterno à Patre & Filio procedit, ita in tempore ab utroque in corda fidelium sanctificanda & regeneranda mittitur. Cujus Personalitatem probamus 1. à Nominibus Personalibus, qualia sunt Deus, Dominus &c. seq adducendis. Paracletus. Joh. 14. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in eternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum, nec scit eum. 2. Paracletus, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & jugeret vobis omnia, quæcumque vobis dixerim: ubi notanda Heterosis Generum παράκλητος τὸ πνεῦμα ἡγίου ἐπεῖνος διδάσκει. it. Joh. 15, 26. ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ἐπεῖνος μαρτυρίσει, quæ semper personam indicat. c. 16, 7. Nisi ego abiiero, Paracletus non veniet. Testis. 1. Joh. 5, 7. Tres sunt, qui testantur in celis. 2. à Proprietibus Personalibus, quales hic sunt, procedere, mitti, venire. Intelligentia s. Intellectus 1. Cor. 2, 10. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Voluntas 1. Cor. 12, II. Hec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 3. ab Actibus s. operibus personalibus. v. gr. Creat, Gen. 1. 2. Ps. 33. 6. Docet, Joh. 14. 26. Ille vos docebit omnia. Testatur, Joh 15. 26. Testimonium perhibebit de me.

(69.)

de me, confert dona varia. I. Cor. 12. ii. Rom. 8,16. Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. v. 26. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Loquitur per Prophetas. 2. Pet. 1. 21. Non voluntate humana allata est aliquando Propheta: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Act. 13, 2. Dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mibi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Quæ omnia per prosopopæjam explicare, violentum esset. 4. Ex apparitionibus personalibus, qualis describitur Matth. 3, 16. Luc. 3, 22. ubi descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in Iesum & Act. 2, die Pentecostes. 5. Ab axiomatibus personam inferentibus, quale est Matth. 28, 19. ubi in nomen Spiritus S. æquè ut in nomen Patris & Filii, baptizari jubeatur. Invocatur. 2. Cor. 13, 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Charitas Dei, & Communica-  
tio Spiritus S. sit cum omnibus vobis. In eum peccatur. Es. 63, 10. ubi Israelite dicuntur exacerbasse Spiritum S. Matth. 12, 31. 32. Blasphemia irremissibilis in eum committi potest. Act. 5, 3. Ananias & Saphira mentiti sunt Spiritui Sancto. Is autem contra quem peccatur est Persona. Joh. 14, 16. c. 15, 26. c. 16, 13, 27. Matth. 3, 16. est alius à Patre & Filio, ab utroque missus; quæ omnia perso-  
nam inferunt.

### §. XVIII.

II. Nec solum Spiritus S. Persona sed Persona Di-  
vina ac proinde Deus est, quod contra Judæos, Mace-  
donianos, Arianos, Samofaten. Photin. ac Socinianos,  
probatur. 1. Ex nominibus divinis. Es. 6. dixit יהוה au-  
dite audiendo; quod, Act. 28, 25, 26. Paulus docet, Spir-  
itum S. dixisse per Esaiam Prophetam. Exod. 17, 1. 7. coll.

cum Pl. 95, 7, 8. Israelitæ tentarunt Jehovam in deserto in Massa & Meriba; quod Heb. 3, 7, 9. & c. 4, 3, 8. ad Spiritum Sanctum referuntur 2. Sam. 23, 2. David inquit. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per lingvam meam; dixit Deus Israël mibi, locutus est fortis Israël, Dominator hominum, justus dominator in timore Dei.* Luc. 1, 68, 70. *Benedictus Dominus Deus Israël, qui locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus;* Aet. Petrus. 2. Epist. 1, 21. docet actos à Spiritu S. locutos esse Sanctos Dei homines. 2. A nomine Dei. Actor. 5, 3, 4. *Dixit Petrus: Anania, cur tentavit Satanás cor tuum, mentiri te Spiritui S.* Non es mentitus hominibus; sed Deo. 1. Cor. 3, 16. *An nescitis, vos templa esse Dei & Spiritum S. habitare in vobis?* 3. à nomine Domini. 1. Cor. 12, 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus:* Et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. 2. Cor. 3, 7. *Dominus est Spiritus.* II. Ex Attributis divinis. 1. Aeternitate. Gen. 1, 2. *In principio creationis Spiritus incubabat aqua.* Heb. 9, 14. *Quanto magis Sangvis Christi, qui per Spiritum aeternum, seipsum obtulit Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis,* &c. Joh. 15, 26. *Spiritus S. à Patre procedit s. emanat.* 2. Omnipræsentia. Ps. 139, 7. *Quo ibo à Spiritu tuo? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* &c. Rom. 8, 9. *Spiritus S. habitat in Vobis.* 3. Omniscientia. 1. Cor. 2, 10. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunditates Dei.* v. II. *qua Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Joh 16, 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* 4. Omnipotentia. Es. II, 2. ubi *Spiritus fortitudinis,* & Luc. II, 20. ubi *digitus Dei* & Luc. I, 35. ubi *Virtus Altissimi* dicitur. 5. Summa Libertate 1. Cor. 12, II. *Hac omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout*

(71.)

prout vult. 6. Bonitate & Misericordia, Ps. 143, 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Neh. 9, 20. *Spiritus tuum bonum dedisti, qui doceret eos.* III. Ex Operibus divinis. 1 Creatione Gen. 1, 2. Psal. 33, 6. Job. 26, 13. *Spiritus Dei ornavit caelos.* 2. Conservatione, Job. 33, 4. *Spiritus Dei fecit me, & Spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* 3. Christi unctione, Et 61, 1. *Spiritus Domini super me, eo quod Dominus iminxerit me, ad annuntiandum mansuetis, misit me;* quod Christus sibi applicat Luc. 4, 18. 4. Miraculorum effectione Matth. 12, 28. *si in Spiritu Dei ejicio Daemones, coll cum* Luc. 11, 20. *si in digito Dei ejicio Daemonia.* Act. 2, 4. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & caperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. I. Cor. 12, 4. II. Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus: per quem, eundem Spiritum, alti datur donum sanationum; alti vero operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera lingvarum, interpretatio Lingvarum. Omnia vero hoc operatur unus & idem Spiritus, distribuens unicuique prout vult. it. Rom. 15, 18, 19. 5. Missione Prophetarum & Ministrorum. Act. 13, 2. *Dixit illis Spiritus S. Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opusad quod assunsi eos.* Act. 28, 25. *Spiritus Sanctus bene locutus est per Esaiam Prophetam ad Patres nostros.* Act. 20, 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* 6. operationibus in Ecclesia. I. Illuminatione. Joh. 14, 26. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia.* Joh. 16, 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem;* non enim loquetur a se ipso: sed quaecunque audiet, loquetur, & que ventura sunt annuntiabit vobis. Ps. 143, 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Joel. 2, 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem &c.* Joh. 20, 22. *Insufflavit, & dixit eis; Accipite Spiritum Sanctum.* I. Cor. 12, 3.

Nemo



Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.  
 2. Regeneratione, Joh. 3,5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei. Ps. 51,12. Spiritum rectum innova in visceribus meis. V. 13. Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. Tit. 3,5. Spiritus Renovacionis, vocatur. 3. Justificatione. 1 Cor. 6,11. Justificati es sis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 4. Adoptione, unde Rom. 8,15. Spiritus Adoptionis dicitur per quem clamamus, Abba, Pater. 5. Consolatione, hinc nomen Paracleti Joh. 14, 16. 26. c. 16, 7. 6. Resuscitatione. Rom. 8,11. Vidificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum in nobis. 7. Glorificatione, Eph. 4, 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati es sis in diem redemptionis. IV. Ab honore & cultu divino. 1. Consecratione in nomen ejus, in Baptismo nostro, facta, Matth. 28,19. unde 1. Cor. 3,16, &c 6,19,20, fideles templa Spiritus Sancti appellantur, quia sunt domus, perrenni ejus cultui, sacræ. 2. Fide in Spiritum Sanctum: Nam ut in Spiritum S. baptizati sumus; ita in Symbolo Apostolico profitemur, nos credere in Spiritum S. Is vero, in quem credendum est, Deus est, Jer. 17,5. 3. Invocatione, 2. Cor. 13, 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Charitas Dei & communicatio Spiritus S. sit cum omnibus nobis. Apoc. 1, 4. 5. Gratia vobis & pax a septem spiritibus. 4. Adoratione. Es. 6,3. Seraphim clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, quod Act. 28,25,26, ad Spiritum S. transfertur. Quo exemplo Ecclesia Christiana Spiritum S. invocavit & adoravit hymno de Spiritu S. Veni Creator Spiritus. it. Veni Sancte Spiritus. 5. Gravitate peccati & Blasphemie in Spiritum S. Es 63, 10. Iraelitæ ad iracundiam provocarunt & afflixerunt Spiritum S. Matth. 12, 31,32. Omne peccatum & blasphemia remitte-

mittetur hominibus : *Spiritus autem blasphemia non remittetur.* Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro. Act. 5,3,5. *Ananias & Saphira morte plectebantur, quod Spiritus S. mentiti essent.* Heb. 10, 29. *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia - qui spiritui gratia contumeliam fecerit.* Quæ Scripturæ testimonia Spiritus S. cum Patre & Filio, Deitatem, adeoque Sacro Sanctam Trinitatem luculenter probant. Atque ex his quoque elucet, quid sentiendum sit, de quorundam Romano-Catholicorum Hosii, Cochlæi, Melch. Cani, Possevini, Jesuitarum Collocutorum in Colloquio Ratisbonensi, Coppensteinii, Hyeronimi a S. Hyacintho, Petavii, Maserii, Nihusii aliorumque sententia; *Trinitatis dogma non tam ex Scripturâ, quam Traditione Ecclesiastica peritum esse;* Scilicet, quamvis illud de Quæstionibus multis Scholasticorum, ac de Vocibus & Phrasibus quibusdam Ecclesiasticis, admissi possit; Nullo tamen modo de ipso dogmate est concedendum.

## §. XIX.

Inter Personas divinas *Ordo* est, tum in *Subsistendo* tum in *Oportando*; qui tamen non est 1. *Natura*, quia Personæ divinae sunt *omnipotentes*, ejusdem essentiæ; nec 2. *temporis*, quia sunt *eternæ*, coæternæ; nec 3. *dignitatis*, quia sunt *æquales*, æquales f. ejusdem honoris ; Sed *Originis & Relationis*. *Ordo in subsistendo* resultat ex modo diverso, quo personæ hæc divinæ eandem numero Essentiam habent; quippe quam *Pater* à se ipso habet, tanquam *Principium, Fons & Origo* Trinitatis, atque inde *est prima Deitatis Persona*, neque genita neque procedens; que ab aeterno Filium sibi consubstantialem genuit, & Spiritum S. sibi consubstantialem & coæternum cum Filio, per aeternam Spirationem

K

ineffa-

ineffabilimodo produxit, creator & Conservator omnium, unum cum  
 Filio & Spiritu S. mittens Filium Redemptorem, & Spiritum S.  
 Sanctificatorem ab utroq; procedentem. Filius vero eandem  
 Essentiā divinā habet à Patre per æternam generationē,  
 indeq; est secunda Persona Deitatis a Patre ab æterno, vere quidē  
 & proprie, hyperphysice tamen genita, à Patre & Spiritu S. missa  
 in terram ad generis humani Redemtionem; cum Patre mittens  
 Spiritum S. ab utroque procedentem. Spiritus S. vero essentiam  
 habet à Patre Filioque, per æternam Spirationem; hinc  
 est tertia Deitatis Persona, à Patre & Filio, communicatione  
 ejusdem numero essentia, uno indivisibili æterno actu, ineffabi-  
 liter, emanans s. procedens: à Patre & Filio in tempore, in cor-  
 da fidelium, ad ea sanctificanda, missa; qui Ordo indicatur  
 in præcepto Baptismi Matth. 28, 19. & 1 Joh. 5, 7. Ordoin  
 operando s. agendo, sequitur Ordinem in Subsistendo, ac  
 proinde Pater agit à seipso, Filius à Patre, Spiritus S.  
 ab utroq; & in sacris literis per Particulas distinctivas  
 Avel Ex, Per, & In, indicatur; quarum prima è Ex Patri, diu  
 Per Filio, eis, & è In Spiritu S. salva personarum æqua-  
 litate tribuitur. ita Rom. 11, 36. Ex ipso & Per ipsum & In  
 ipsum sunt omnia. 1 Cor. 8, 6. Nos habemus unum Deum, Pa-  
 trem Ex quo omnia, & nos Ex ipso: & unum Dominum J. C.  
 Per quem omnia & nos per ipsum. Joh. 1, 3. Omnia Per ipsum  
 facta sunt. Hebr. 1, 2. Per quem & secula fecit. De Spiritu  
 S. Præpositio è In adhibetur 2. Theff. 2, 13. Deus elegit  
 nos in salutem in Sanctificatione Spiritus & in Fide Veritatis.  
 Verum sicut ille Personarum divinarum ordo natura-  
 lis non semper observatur, sed arbitrarius nonnun-  
 quam adhibetur, quod fit 2 Cor. 13, 13. Gratia Domini  
 nostri J. C. & Charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus,  
 sit cum omnib. vobis. & Apoc. 1, 4. 5. ubi Filio Spiritus S.  
 præponitur: Ita & præpositiones hæ quandoque per-  
 mutan-

( 75. )

mutantur. Sic *ad. Per Patri Rom. 6, 4. 1 Cor. 1, 9. Hebr. 2, 10. in Ex Filio Joh. 16, 15. & In Filio Col. 1, 14. 16. eis ib. v. 16. ev. In Patri & Filio Jud. v. 1. tribuitur. Proprietas Patris Characteristica est vel *ad intra* vel *ad extra*; *ad intra* est *ayevnola*, ingenitum esse, quæ concipitur vel *negativer*, atque excludit omnem ortus vel processionis ab alia persona modum; vel *positivè* s. *affirmative*, atque infert Paternitatem, juxta quam Pater est à seipso, & genuit Filium ac spiravit cum Filio Spiritum S. *Ad extra* est, Creatio & Conservatio mundi. *Relatio* Patris ad secundam personam est *Generatio activa*; ad tertiam Personam *Spiratio activa*. Filii Proprietas Characteristica *ad Intra* est *ayevnola* Generatio, quæ duplicum infert Relationem, quarum altera ad Patrem est, *Generatio Passiva*; altera ad Spiritum S. *Spiratio Activa*. *Ad extra* est, Redemptio Generis humani. Proprietas Characteristica Spiritus S. *ad intra* est *Spiratio Passiva* s. *ἐκπόρευσις Proces-  
sio à Patre & Filio*; cuius consequens est *Misio à Patre & Filio in tempore*; *ad extra* est *Fidelium Sanctificatio*.*

§. XX.

Spiritum S. à Patre per Filium procedere volunt Græci inde ab ætate Theodoreti; à Patre Filioque Latini; quibus posterioribus merito accedunt Protestantes 1. quia æque à Filio ut à Patre mittitur. Joh. 15, 26. Christus inquit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille testabitur de me*. Joh. 16, 7. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Temporalis enim Misio est Manifestatio Processionis & emanationis æternæ. 2. quia eodem modo quo Spiritus S. respectu Patris dicitur Ps. 33, 6. *Spiritus Oris Domini*; Job. 33, 4. *Spiraculum Omnipotentis*; Matth. 10, 20 &c. 13, 18. *Spi-  
ritus*

ritus Patris; 1 Cor. 2, 12. *Spiritus ex Deo*; vocatur respe-  
 ctu Filii Es. 9, 4. *Spiritus Laborum Messie*; 2. Thess. 2, 8.  
*Spiritus Oris Christi*; Gal. 4, 6. *Spiritus Fili*: Quoniam estis  
 Fili, misit Deus Spiritum Fili sui in corda vestra, clamantem:  
*Abba, Pater.* Rom. 8, 9. *Spiritus Christi*: *Siquis Spi-*  
*ritum Christi non habet, hic non est ejus.* 3. quia Christus in  
 tempore Spiritum S. Apostolis afflavit, Joh. 20, 22. in-  
 quiens: *Accipite Spiritum S.* 4. quia Spiritus S. audit &  
 accipit à Filio; Joh. 16, 13. 14. *Non loquetur à semetipso,*  
*sed quecunque audiet loquetur; ille me glorificabit, quia de meo*  
*accipiet & annunciat vobis.* 5. quia omnia que Pater  
 habet, etiam Fili sunt Joh. 16, 15. *Omnia, quecunque habet*  
*Pater, mea sunt. & Joh. 17, 10. Omnia tua, mea sunt.* 6. Re-  
 quirit id *quaesita* Personarum divinarum, & ratio ordi-  
 nis inter S. Trinitatis personas. 7. accedit Consensus  
 Conciliorum Patrum Latinorum & Græcorum vetu-  
 stiorum, quem longa serie adducit Bellarminus Lib. 2.  
 de Christo Capp. 23. 24. 25. Primus Græcorum, qui Spi-  
 ritum S. nec à Filio, nec per Filium, sed à solo Patre pro-  
 cedere, afferuit, fuit Theodoretus, in Refut. Anathe-  
 matismi Cyrilli, c. 9. Nestorio addictior, cuius partes  
 tamen tandem deseruit. Hunc errorem, aliquandiu  
 sopitum, resuscitavit Joh. Damascenus, sed obscurius,  
 lib. 1. de Orth. Fide c. 10. & postea Theophylactus Bul-  
 garor. Archi Ep. in Cap. 3. Joh. in verba: *Non ad men-*  
*suram dat Deus Spiritum;* ubi docuit, Spiritum S. appellari  
 Spiritum Filii, non quod ab illo procedat, sed quia  
 per Filium hominibus datur. it. Michael Cerularius,  
 Patriarcha Constantinopolitanus & alii. Quam opini-  
 onem deinde Græci tanto fervore defenderunt, ut sub  
 Annum 1052 tempore Leonis IX. à communione Ro-  
 manæ Ecclesiae recesserint, questique fint, à Latinis  
 Sym-

Symbolo Nicæno-Constantinopolitano verba, *Filioq.*, ad-  
dita esse, cù hi è contrario velint, id à Patrib⁹ Concilii Con-  
stantinop. factum esse. Quia de re acriter disceptatum fuit  
inter Latinos & Græcos in Concilio Gentiliacensi, Seculo  
VIII. regnante Pipino, habito. Seculo VIII. eadem Con-  
trovergia ventilata fuit in Concilio Aquisgranensi,  
ubi tamen non tam de ipso dogmate, quam de Concilio  
Constantinop. mente actum fuit. Seculo XI. is illa re-  
cruduit, Anselmo Archi Episc. Cantuariensi Latinorum  
causam masculine contra Græcos agente. Seculo XII.  
in Concilio Lugdunensi, cui Thomas Aquinas interfui-  
it, Græci Latinorum sententiam approbasse visi sunt;  
Verum non multo post Græci ad ingenium & pristi-  
nam sententiam redierunt. Seculo XV. Anno sc. 1439.  
in Concilio Florentino, Imperatore & Patriarcha Con-  
stantinop. consentientibus, definitum fuit, quod *Spiritus*  
*S. à Patre & Filio fit aternaliter, suumque esse subsistens habeat*  
*ex Patre simul & Filio, & ex utroque aternaliter, tang. ab uno*  
*Principio & unica Spiratione, procedat;* simulque declara-  
tum fuit, id quod Sancti Doctores & Patres dixerunt,  
*ex Patre per Filium procedere Spiritum S. ad hanc intelligen-*  
*tiam tendere, ut per hoc significetur; Filium quoque esse secun-*  
*dum Greacos quidem Causam, secundum Latinos vero Princi-*  
*pium subsistentia Spiritus S. sicut & Patrem.* Et quoniam  
omnia, que Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignen-  
do dedit (prater esse patrem) hoc ipso quod *Spiritus S. pro-*  
*cedit ex Filio, ipsum Filium à Patre aternaliter babere, à quo*  
*ernaliter etiam genitus est.* Quin hoc etiam ibidem de-  
finitum fuit, explicationem verborum illorum (*Filioque pro-*  
*cedit*) veritatis declaranda gratia, & imminentे nunc neces-  
sitate, licet, aut rationabiliter Symbolo fuisse appositam. in Ca-  
ranzæ Summa Concil. p. m. 647. 648. Verum, & ab hac

*"interesse debuit,  
sed morte in itinere  
presente non*

Transactio[n]e resilierunt Orientales, idque eo magis, quia Latini, ex eo tempore, hoc dogma, ut pote à Papa definitum, ut Articulum fidei, creditu necessarium, urgere, & Græcis eo nomine obtrudere, cœperunt. Ipse quoque *Cyrillus Lucaris* in Confess. Fidei Cap. i. professus est, *Spiritum S. à Patre per Filium procedere*. Quamvis verò Latinorum sententiam alteri præferamus, & omnino probemus, non putamus tamen Græcorum sententiam Hæreseos damnandam, neque sufficientem causam Schismatis vel inchoati vel continuati esse. Et cum Pater & Filius Spiritum S. non ut duo Principia diversa spirent, sed tantum ut duæ Personæ unâ numero spirandi virtute & spiratione ad Procesionem Spiritus S. concurrant, liquet, male hoc sensu adseri, *Spiritum S. à Patre per Filium procedere*, q[ui] principaliter à Patre, minus principaliter autem & secundario à Filio procederet; attamen, si hac phras[is] tantum *modus subsistendi*, & *Ordo Personalis* indicetur, juxta quem Pater est Principium, Fons & Origo Deitatis, à quo Filius quoque procedit, hoc sensu, sc. quoad *modum subsistendi* & *Procesionis Ordinem*, non male diceretur, saltem excusa est phrasis, à Patre per Filium procedere Spiritum S.

## §. XXI.

Inter Generationem Filii & Procesionem Spiritus S. aliquod discrimen esse, nemo diffitetur; quale vero illud sit, tuto ignoratur. Præter Durandum, qui affirmavit Processiones divinas, np. Generationem & Procesionem, esse immediate ab Essentia Dei, ita ut ipsa sit Principium earum immediatum; Scholastici promiscue docent, Generationem fieri per Actum Intellectus, Procesionem per Actum Voluntatis, unde Filius *Sapientia & Verbum*, Spiritus S. *Amor s. Charitas & Donum* vocetur; quibus præliserunt Athanasius, Cyrillus,

Ius, Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus, Theodore-tus, Augustinus, Damascenus, Anselmus; & quos se-cutri sunt Melanchthon, Keckermannus; excusavit autem, Mart. Chemnitius in Judicio de Controversiis quibusdam circa Articulos quosdam Augustanæ Con-fess. Verum, præterquam quod Scriptura hic sileat; sen-tentia ista, hac quoque difficultate premitur: Si Pater seipsum intuendo s. intelligendo, formavit imaginem sui ipsius i.e. genuit Filium; ab ista vero imagine mutuus ad Patrem resultavit Amor: Ergo Filius & Spiritus S. similiter, formando imaginem sui ipsius, dicendi sunt generaſſe Filium: Qua ratione plures personæ fingi & progreſſus in infinitum institui posset. Sobrie ergo hic ſapiendum, ac di&tum Ambrosii hic tenendum: *Non decet jervum inquirere in natales Domini, & licet ſcire, quod natus fit Filius, non licet ſcire, quomodo natus fit.* & Nazianz. *Dei generatio silentio eſt colenda.* &c. Interim Theologi nostri in tribus diſcrimen inter Generationem & Pro-cessionem ponunt: 1. *ratione Principii*, quia Filius à solo Patre, Spiritus S. à Patre & Filio emanat 2. *ratione Modi*, quia Filius per Generationem producitur & procedit, quæ non modo ad personalitatem, ſed & ad ſimilitudinem terminatur, propter quam Patris imago vocatur, & juxta quam Filius ſimul proprietatem, eandem eſ-ſentiam cum tertia perſona communicandi, accipit. Spi-ritus S. vero emanat per Spirationem & Proceſſionem, quæ duntaxat ad Personalitatem terminatur, & per quam Perſona Procedens proprietatem, eſſentiam ſu-am cum alia communicandi, non accipit. 3. *ratione Ordinis*, quia ſicut Filius ſecunda, Spiritus S. eſt tertia Dei-tatis perſona; ita Generatio in ſigno rationis Spiratio-nem præcedit, Spiratio Generationem ſequitur, quan-quam revera ſint coæternæ.

## §. XXII.

Patrem, Filium & Spiritum S. unum esse Sacre litteræ docent. Joh. 5, 18. Iudei querebant interficere Jésum, quod Patrem suum dicere Deum, equalēm s̄ faciens Deo. Joh. 10, 29, 30. Ego & Pater unum sumus. Joh. 14, 1. Creditis in Deum & in me credit̄e s̄ credidū. v. 7. Si cognoscistis me, & Patrem meum utique cognoscis̄tis, & a modo cognoscis̄tis eum & vidistis eum. v. 9, 10. Quia fides me videt & Patrem, & quonodo tu dicas, offendit nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est. c. 16, 15. Omnia qua Pater habet, mea sunt. c. 17, 10. mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. v. II. Pater sancte serba eos in nomine tuo, quos dedisti mibi, ut sint unum sicut & nos. I. Joh. 5, 7. Tres sunt, qui testantur in celo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Phil. 2, 6. Attamen inter se distinguntur, sed aliter ab Essentiā aliter à se invicem. Ab Essentiā, non realiter, i. e. essentialiter ut res & res; ut Petrus & Johannes, Anima & Corpus realiter differunt; nec proprie modaliter; Sed ratione ratiocinata, quae fundamentum in re habet; secundum Thomistas; vel Formaliter & ex natura rei, secundum Scotistas. In Distinctione Personarum divinarum a se invicem duo Extrema, ut duo Scopuli, vitanda sunt. 1. Sabellianismus, à Sabellio Pentapolitano, circa A. 260. otto, ita dictus; quem fecuti sunt Praxeas Asiaticus & Hermogenes Afer. it. Mich. Servetus, qui tres Personas tria nominat, & unius Personæ variis Effectus fingebant. 2. Tritheismus, Philoponi & Valent. Gentilis, qui tres aternos, sed inæquales Spiritus, Patrem Essentiātorem, Filium & Sp. S. Essentiātis, statuit. Contra quos Orthodoxi docent, Personas divinas à se invicem distinguunt, non Modaliter & Personaliter; semper n. manet dubium, qualis sit illa Personalis distinctione, sed Realiter: nam Tres sunt: Pater, Filius & Sp. S. it. Alius atque alius; Joh. 5, 32. Alius est, qui testatur de me. Joh. 14, 16. Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis; ubi rogans, rogatus & missus.

## §. XXIII.

Attributa hujus Mysterii sunt I. Sublimitas: Est n. ἡ περιτονή, ὡπλός λέγοντος ἡ περιτονή τάσσων κατάνδυτος; ac proinde mirandum non rimandum, credendum non vexandum, adorandum non scrutandum. II. Necesitas Joh. 5, 23. c. 14, 1. c. 17, 3. I. Joh. 2, 23. III. Veritas. Vid. §. 9, 10. II. 15, 17, 18.

## §. XXIV.

Opponunt se Infideles, Iudei & Muhammedani, qui Mysterium hoc rident.

## §. XXV.

Similiter alii Antitrinitarii Ebionai, Cerinthiani, Samoateniani, Ariani, qui vel Anomai s̄ pure Ariani, dicti quoque Adiani & Eunomiani; vel Semi-Ariani; vel Acaciani; Photiniani, Sociniani &c. Theologi Scholastici Orthodoxi quidem hic sunt, sed curiosi suis & spinosis Qua. Mysterium hoc obscurant potius quam illustrant & declarant.

## §. XXVI.

Nostrum est: Deum Trinum in Spiritu & Veritate, ac Mutua Charitate, secundum Promissionem nostram Baptismalem venerari, ut unum invicem facti, sicut hi Tres unum sunt, tandem huic Tri-ni conjungamus aeternum!

F I N I S.

JK 3957



TA>AL

V2/17

Ms.

Rho 1

D



10  
111

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**SS. TRINI-**  
**TATE,**  
Quam  
*Aspirante SS. Trinitate*  
IN ALMA VIADRINA,  
PRÆSIDE  
**DN. BARTHOLDI Holßfuß/**  
SS. THEOL. DOCT. & PROF. PUBL.  
ORDIN.  
FAUTORE ac PRÆCEPTORE SUO  
ÆTERNUM VENERANDO,  
D. III. Aprilis A. O. R. MDCCIV.  
Placide examinandam  
proponit  
**ANDREAS PANYOKL**  
HUNGARUS.

\*\*\*\*\*

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.